BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
A
60
NAPOLI

L.VIII
a
54 60

145

S. IOANNIS DAMASCENI HISTORIA DE VITIS ET REBUS GEſTIS SANCTORUM BARLAAM EREMITÆ, & IOſAPHAT REGIS INDORUM, GEORGIO TRAPEZUNTIO INTERPRETE.

S. I O A N N I S

DAMASCE-

NI HISTORIA

DE VITIS ET RE-

bus geſtis Sanctorum Barla-

am Eremitæ, & Ioſaphat

Regis Indorum, Geor-

gio Trapezuntio

interprete.

In eandem Scholia Aloiſij Lippomani

Veronenſis Epiſcopi.

D. Ioannis Chryſoſtomi, de compara-

tione Regis & Monachi Germano

Brixio interprete.

Index Materiarum locupletiſs.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

D.

A N T V E R P I A E,

Apud Ioannem Bellerum ſub

Aquila Aurea.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. GABRIELI Baquæo, monaſterij Aenamenſis, ordinis diui Benedicti apud Aldenardum Cœnobiarchę longè vigilantiſsimo F. Petrus Bacherius Dominicanus Gandenſis.

S. D. P.

PRæclarus ille Eccleſiæ catholicæ ac animoſus propugnator Epiphanius, vbi obſcuras Maſſilianorum & Euphemitarum hæreticorum peſtes in lucem extrahens, ac ſtilo confodiens, in monachorū mentionem incidiſſet, perquam appoſitè florilegis apibus quæ nullum diem ſegni otio aut torpore ſinunt elabi, eos cōparauit. Etenim ſummo iam mane dato ſigno ad opera prouolantes, aliæ decerptos flores aggerūt, aliæ aquam ore, guttasq́ roris conuehunt. At hæ fere iuniores ſunt. Seniores vero domi rem curant domeſticā, dum aliæ præ foribus excubant atque aduentantium onera ſubiectis excipiant, *Epiph. lib. 3. contra hæreſes.*

unt, ſuſtentantq́ humeris, aliæ intus mella ſtipant, & liquido diſtendunt nectare cellas, nonnullæ ceſſantium inertiam notant caſtigantq́, etiam morte nonnunquam eam multantes. Itaque cũ pauciſsimæ ceſſent, omnes (inquit) hymnifera voce iuxta propriũ ſenſum, gratiſſimo ſuſurro & murmure ſuum celebrant Creatorem. Quis non miretur hanc apum politiam? Ad hunc maximè modum viros religioſos vitam agere decet, non marcere ignobili otio, amare mutuum, neſcire propria, prodigis (vt ita dicã) laudibus concelebrare ſupremũ (quod regit omnia) Numẽ: neque animum vnquam dedere degeneris voluptatis illecebræ: qua re proximè ad Angelorum cæleſtium naturam accedent, quippe qui ſordium omnisq́ nequitiæ puri, & ab omni perturbatione ſemoti, perinde atque in tranquillo portu, cæterorum naufragia ſpectant ſecuri. Porro vbi conueniunt animi, menſa, domus, indumenta, cæteraq́ ſupellex fere communia eſſe ſolẽt: deinde & duæ iſtæ voculæ, Meum & Tuum, *(quæ non raro etiam florentiſſimis familijs exitio eſſe conſueuerunt),*

runt), exultant: poſtremò (quo ſine ruunt reliqua) vnus apud illos perſeuerat idemq́ animus, quapropter rebus ita rite conſtitutis omnes omnia & facere & pati ſtudent, vt vnà inuicem lætentur ac gaudeant, quo fit vt lætitiæ occaſiones fere habeant innumeras non in ſuis modò rebus lætis, ſed in aliorum quoque, & quidem non minus quam in ſuis, gaudio geſtientes. Anacharſis philoſophus rogatus cur frequentius palleant ac doleant inuidi? quia (reſpondit) non ſua ſolùm dolent inſortunia aut mala, ſed etiã aliena bona, quibus nimirum aliena fœlicitas toxicum eſſe ſolet. Sic monachis qui amãt mutuum, alteriq́ fere præ amoris magnitudine, malint bene eſſe quàm ſibi, conſtans & perpetuum eſt gaudium, quandoquidem non tam ob ſua bona, quam propter aliena exultant, quæ peculiaris vis eſt, & gemina charitatis natura. Quod ſi quem delectat in hac tam iucunda apum contemplatione morari diutius, & veluti pedem figere, huic diligenter veſtiganti omnia, procliue fuerit diſcere eas non indulgere mutuo complexui. Et Plinius quidem

libro xi. Apum(inquit)coitus nuſquã viſus eſt. Cui ſtipulatur noſter Ambroſius lib. exæmerων 5. Integritas (ait) corporis virginalis omnibus apibus cõmunis, & partus, quoniam nullo miſcentur concubitu, nec libidine reſoluuntur, nec partus quatiuntur doloribus, è floribus & herbis ore ſuo prolem legentes. Quid hic reſpondebunt monachomaſtyges? Apes laudantur à caſtitate, & qui id ſtudent homines idcirco in inuidiam et crimen vocantur? Cur in compitis, ſutrinis, & tonſtrinis, clamitat M. Lutherus omniũ hæreſeων architectus, deuota colluuies, religioſos contra naturam agere, quod creandis liberis nullam dant operam, quod neque Veneris gaudia norunt? Sed vocent nos (ſi parum eſt ſemel) vel ter millies τα ἔμψυχα νέκρα, hoc eſt, animata cadauera, dũmodo Seruatori noſtro atque agonothetæ, vitæ noſtræ curſum probauerimus, quid refert? Enimuero 1. Corint. 7. *vt Apoſtolo lubenter ſuffragari conſueui, ego ſic cenſeo: bonum eſt homini mulierem non tangere. Quid? Nonne in attactu periculum ponere videtur? Equidem Ioſeph pudiciſſimus adoleſcens*

cens ſalacis mulieris tactum formidauit, et veluti rabidiſſimæ canis morsũ refugit, quin & veſtem quam tetigerat impurã auerſatus, perinde ac ſi læ talem imbibiſſet ſuccum, à ſe reiecit ne in corpus (credo) & animum virus penetraret. Creſcant, multiplicentur, repleant terram ſi tantopere delectat coniugij capiſtrum, aduerſarij, per nos licet, modo ſinant noſtra nos ſorte contentos replere cœlum. Sed non eſt huius loci multa acutè cum de coniugio, tum de cœlibatu diſputare: vtriuſque vitæ magna laus eſt: Habent enim & caſti coniuges & virgines pariter ſuum præmium, quamuis non ignorem Gregorium Nazianzenum referre, dum encomium canit virginitatis, olim virgines ad dexteram ſponſi, coniuges ad leuam recepturos gloriam. Sed de his fortaſſis alias fuſius. Cæterũ (vt vnde eſt digreſſa recurrat oratio) extra controuerſiã eſt, primos illos ac probatiſſimos monachos, cũ Chriſtianorũ pectora recenti adhuc religione calerẽt, veluti apum ſedularum examen Syriæ, Paleſtinæ, atq; Aegypti vaſtiſſima deſerta inſediſſe. Nonnulli in excelſas

Gregorius in carminibus.

vetuſtate rupes, & opaca nemora ſeſe illatebrauerunt, atque in retruſis terræ penetralibus annos complures exigebant. Plerique tanquam ſeueri exactores, quotidianæ inediæ ac precum ſibi penſum extorſerunt, oluſculo vili, & ſponte naſcentibus herbis contenti. Omnibus verò ingens erat ardor, eam partem quæ in nobis bruta eſt, vnde ebulliunt motus impuri in ordinem redigere, ſpirituiq́ue ſubijcere. Quoniam verò perſuaſiſſimum illis fuit caſtitatem emacerati corporis eſſe fructum, nihil non afflictionum excogitauerunt, quo carnem ſuapte natura effrenem, & in voluptates ſemper propendentem, edomarent. Huic rei cilicia, flagra, & quotidiana inuenta ieiunia, hinc pectori tūdēdo acutæ petræ, & dilacerādo tergo, rigidæ ferro cathenulæ parabantur & pro molli lecto χαμευνία, id eſt humi cubatio. Erant qui vulnificis ſpinis & ſentibus ſeſe obuoluerent, alijs algidos gelatosq́ue niuis globos complexu arctiſſimo comprehendentibus, nōnullis aut onera geſtando aut humum fodiendo, extenuato inedia corpuſculo, vim inferentibus. Et quamuis hæc eſſent tole-

ratu perdifficilia, crucifixi tamen amo re cui ſe totos iam ſemel dicauerant, nō poterāt non eſſe iucundiſſima vt nō temere de huiuſmodi monachis dixerit. D. Hieronimus. Non nouit (inquit) terrori natio iſta ſuccumbere & impendenti gladio ceruicem potius quàm manum ſubijcit. Quod quàm ſit verum abunde ſatis probant 9. 22. & 23. huius libri capita. Ex horum numero Barlaam & Ioſaphat nobis prodierunt: qui cùm per Ioannem Damaſcenum (ſi tamen is eius hiſtoriæ eſt autor) græcè loqui didicerint, & iam tandē Georgij Trapezuntij opera fuerint latina donati coloniæ prætium me operæ factur ū arbitratus ſum (præſertim vbi eruditis Aloiſij Veronenſis Epiſcopi ſcholijs plurimum & nitoris illis & commendationis nuper acceſsiſſe viderem) ſi plauſibili ac amæno characterum nouorum ſchemate per Ioannem Bellerum exornatos, et affabre perpolitos, noſtratium hominum vſui deſtinarem. Verum ne pudor (quo ſicut maxime ingenuo) quicquam remoræ illis conciliaret, quo minus cum mortalibus congreſſuri, in lucem prodirent, ſub nominis

Hieronymus ad Theophilū.

 tui

tui vmbram ampliſsime ac digniſsime Abba concedere iuſsi, vt inde adepti authoritatem, quouis etiam gentium intrepidè proficiſcantur, quos ſimul atque tuo patrocinio tanquam ſpecioſos clientes fueris dignatus, ſat ſcio (ſi te ſat noui) in intimam adſciſces admittesq́; familiaritatem. Habent enim efficaciſsima, ſancta tamen & innoxia philtra, quibus adiuti, quam facillimè etiam efferatiſsimas ac truces feras in ſui pellicere queant amorem: quanto verò facilius tuam demerebuntur humanitatem, quæ tanta eſt tamque ſingularis, vt quemadmodum ad ſerendas nectendasq́; amicitias, ita etiam ad conſtanter tuendas, natus omnino eſſe videaris? Ioſaphat autem regius ille adoleſcens, nihil humile, aut abiectum, nihilq́; vulgare loquitur, ſed magnificum ac ſublime quid ſpirat & præfert vbique, vt facile regiam agnoſcas indolem, & cum ſermone ſit nitidus, grata quædam & flexanima (citra adulationem tamē) ſuauitate ſeſe in eorū, quibuſcum agit, animos inſinuat, atq; nunc promiſsis locuples, nunc rurſus ſeuerior, verbis ſuis minas regaliter ad-

dens

dens, vel perſuadet omnino quod proponit, vel cogit. Alter autem iſto compluribus annis maior, Barlaam, incredibili facundiæ vi præditus, plus in dicendo acrimoniæ & plus neruorum oſtendit, deinde ingenio multo vſu exercitato, ſingulari quoque ſacræ ſcripturæ peritia adiutus, vbique ſublimis & arduus ingreditur & veluti caput inter nubila condit. Eſt præterea metaphoris, & paradigmatis idoneè excogitatis, dexter ac fœlix. Si quid impetrare contendit, dicit efficaciter, vrget vehementer, atque in omnem ſe vertens eloquentiæ ſpeciem, pertinaciter inſtat, imo vim facit donec perſuadeat, magnam vbique coniungens ſuis canis dignam grauitatem. Hos itaque monachos Barlaam ac Ioſaphat me conſultore efficies tibi primum familiares (nam non eſt tibi eorum conuictus futurus pudori, ſed potius ornamento) deinde & ijs qui tecum ſub eiſdē merent ſignis, ac D. Benedicto nomen dederunt, (quibus tamen ob eximias naturæ atq; animi dotes præfectus es Abbas) commendabis. Quod ſi admiſerint eos ad conſortium ac vitæ ſocietatem,

ſpero fore propediem vt maxima cum fruge intelligent, quanta ſit opus morũ grauitate, quanta in ſuperos pietate, imo quanta denique animi alacritate ijs qui monaſticẽ ſunt profeßi, vt quotidie, imo ferè omni momento in oculos incurrentes rerum mundialium corruptelas, atque infortunatas fortunæ inſidiantis illecebras, abs ſeſe procul amoliantur. Eſt libellus hic plane aureus, ac ſane dignus qui vel ad verbum ediſcatur. Imo poſthac (ſi quid iudicij mei calculo tribuitur) inter monachorum manus aßiduo verſabitur, in ſinu geſtabitur, atque is demum ſe exiſtimabit gradum aliquẽ in religione feciſſe, cui Barlaam et Ioſaphat vehementer placuerint. Ad hunc, tanquam ad amußim monachi, omnes vitæ ſuæ actus ac rationes exigent componentq́. Receptum eſt in monaſterijs bene conſtitutis, præter ſacram ſcripturam, huiuſmodi etiam libros ad virtutem ac vitæ ſplendorẽ prouocantes, inter prãdendum atque cœnandũ, è pulpito prælegi, vt tanquam in tabula, artificis ſpiritus manu delineatas inſignium virorum imagines, contemplantes, accendantur,

dantur, flammasq́ concipiant ad imitandum. Eſt canon ſynodus Toletanæ tertiæ numero ſeptimus, in quo ita legimus: Pro Dei reuerentia & ſacerdotum id vniuerſa conſtituit ſynodus vt (quia ſolent crebrò mēſis otioſæ fabulæ interponi) in omni ſacerdotali conuiuio lectio diuinarū ſcripturarum miſceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur. Concilium autē VVormacienſe, vbi de epiſcoporum & abbatum menſis incidiſſet mentio ita præcipit can. 17. Epiſcopi & Abbates ante ſe ioca turpia fieri non permittant, ſed pauperes & egentes ſecum ad menſam habeant, & lectio diuina ibi perſonet, & ſumant cibum cum benedictione & laude Domini. Cæterum in quē annum hæc inciderit hiſtoria non prodidit Autor, neque interpres Trapezuntius, deinde Aloiſius quoque ſcholiaſtes, cuius eſt marginale ſcholion, à M. Simone Verrepæo, ſacerdote pio, et priſci zeli, huc tranſſcriptum, rem in obſcuro reliquit. Proinde nihil ego lucis adferre queo, niſi diuinare velim. Quod ſi Ioanni Damaſceno hoc opuſ-

Synodus Toletana. 3. can. 7.

Synodus VVormacienſis c. 17.

Zonaras Hiſtoriæ ſuæ tom. 3.

culum vendicemus, quem probatiſſimi ſcriptores in Leonis Iſaurici tempora reponunt, veriſimile eſt præſtantiſſimum iſtud monachorum par, illum eo conſilio in medium ſtatuiſſe, vt magna ex parte collapſam, extritamq́ monaſticæ profeſſionis diſciplinam, ad priſtinum reuocaret ſplendorem, ac veluti lucidiſſimis propoſitis ſpeculis, reſides animos extimularet ad æmulandum. Nam cum eo ſæculo prodigioſa quædā peccandi libido, vel potius tyrannis, ita Chriſtianam vbiq; religionem labefactaret, vt contagium & monachos ipſos, non infimam Eccleſiæ portionem, contingeret, ac vnà inficeret, nihil potius aut prius habuit vir pius, quam magna ex parte corruptos ac retro labentes monachorum mores retinere atque corrigere, quapropter iſtos Chriſti milites Barlaam & Ioſaphat, monachis omnibus ſpectādos veluti in proſcæniū produxit. Si externa ſpectes, inculti ſunt, & inhonori, at ſi per viliſſimos amictus, remotis inuolucris, animam perſpexeris, numen intus offendes non hominem. Latet enim ſub deſpicabili corporis tectorio animus plane heroi-

cus ac vere philoſophicus, animus in-quam ad cœleſtia ſemper erectus, con-temptor rerum omniũ, pro quibus mor taliũ pars multo maxima ſatagit, cur-rit, ſtrepit, nauigat, ſudat, apertisq́; nõ-nunquam tibijs aut delitigat, aut bel-ligeratur. Sed ò miſerabilem noſtræ Ec cleſiæ metamorphoſim, ò temporũ hu-ius iniquitatem, ita nunc, fluida olim religionis aromata aſtrinxit atque per glaciauit triſtis malitiæ aquilo, vt nihil fere vſquã ſancti odoris exhalare que-ant, imo nunc ita frigent apud omnes fere omnia, vt in Iudaiſmum quendã degenerare videamur. Neque apud eos qui vocantur religioſi omnia ſana: ſed potius ſupina quædam eos tenet in-ſtituti ſui obliuio, & neglectis ijs, quæ propius faciunt ad pietatem, cæremo-nijs, cum refractarijs Iudæis reditum moliuntur in Aegyptum. Faxint boni Superi, ne in effrenatam præuaricãdi abeant licentiam: quod ne vſu veniat maiorum repetentes exempla, noſtros iſtos, de quibus nunc ſermo, fixius pro-piusq́; intueantur, ac tanquam viuen di normam ſibi præſtituant. Succurrit hic memoriæ Dionis Chryſoſtomi in o-

ratione de lege, ſpecioſa comparatio. Quemadmodum (inquit) nautæ dum alto mari iactantur ad ſalutis facem è ſpeculis longinquis lucentem, curſum dirigunt, atque ita in portum appellunt, ita qui ex legis viuunt præſcripto, tuto peragunt vitæ curſum, & honeſtam adipiſcuntur manſionem. Haud ſecus virorum laudatorum exempla pro lege, à qua ne latum quidem culmũ diſcedamus, nobis eſſe debent. Debent etiam ſubditis honeſti & integri mores maiorum, cẽſura eſſe perpetua, ad quã conuertantur, ad quam dirigãtur. Sic Themiſtocles Milciadis trophæa intentis ſibi oculis notanda putauit, quibus conſpectis adeo ad ſtrenue agendum exarſit, vt his animum eius occupantibus ſomnum capere nequiuerit. Thucydides etiamnum adoleſcens cum Herodotum iã ſenem audiſſet hiſtoriam ſuam recitantem, honeſta æmulatione collachrymaſſe dicitur. Memoriæ etiã proditum eſt, Alexandrum Achillis, Iulium Cæſarem Alexandri ſepulchrũ conſpectu, grauiter laudis æmulatione ſuſpiraſſe, creſcit enim (vt eſt apud Salluſtium) præclaris viris in pecto

Dion Chryſ. oratione de lege

Salluſtius in prologo belli Catilinarij.

re

re ſlamma, dum maiorum ceras atq̃ imagines intuentur, unde Prædicatores S. Dominicũ, Frãciſcani Franciſcũ, Benedictini Benedictum in ore ſemper & in oculis geſtare ſolent, quod præclaris eorum geſtis vehementiſſime accendantur, ac veluti admirabili abſolutiſſimoq̃ propoſito archetypo, ad omne virtutum genus excitentur. Quis enim monachus non damnabit confeſtim veſtium luxum, ſi Barlaam & Ioſaphat cilicia legerit? non abhorrebit à mundi blandientis voluptate, quæ maximè obſcurat, cõuellit, lancinatq̃ rationem, ſi crebra illorum ieiunia inopiam, & ſobrietatem ſibi ob oculos conſtituat? Quis illos, aureis (vt ita loquar) pennis calcata huius terræ fæce, cælum petere conſpiciet, qui non confeſtim à vitiorum cœno fugam meditatus, non Bellerophontis equũ, ſed Heliæ currum ſibi optabit, ad ſubuolandũ? Confer mihi nunc iſtis moribus noſtram vitam tam ſupinam, tam ſegnem, & mollem. Deum immortalẽ, quã immenſo diſtabit interuallo: Nihil enim reperies apud pleroſq̃ mei ſimiles, religioſum præter nomẽ. Nigidius Figulus religioſum, Gellius lib.4.

pro

pro caſto, atque æqui iuſtiq́ obſeruãte certis finibus, legibúſque ſeſe cohibente vult dici, quæ deſcriptio, ſi arridet, ſi recipitur, (tolle nominis laruam) quam paucos dederis religioſos? Apoſtolus Petrus *cum ſingula in Chriſti redi uiui ſepulchro veſtigaret, ſola duntaxat lintea, triſtesq́ ſuauiſſimi præceptoris exuias reperit, haud ſecus apud nõnullos qui ſeſe certorum canonum clathris occluſerunt, atque à mundi ſtrepitu veluti ſepelierunt, præter obſeruantiæ ac religionis externam veſtem non multum offendes reliqui: vnde cogor nonnunquã (quoties ſuccurrit memoriæ religioſiſſimi* Patris Petri à Soto *quondam præceptoris mei dictũ) grauiter ingemiſcere. Is enim vir cum Cæſareæ aulæ curis ſeſe extricaſſet, atque pietati & otio literario Dilingæ Sueuorum, totum ſe dedicaſſet, dicere ſolebat puriorem illam (quæ in maioribus noſtris erat) religionem in cælos ſubuolaſſe, grandem querelam apud patrem Deũ depoſituram quod à pleriſq́ monachorum pro deſpicata haberetur, atque hoc addebat, ſi reuerti omnino daretur, ab iſto exilio in patriam rece-*

receptū, Benedicto, Bernardo, Domini-co, & Franciſco, plurimum vel commiſerationis, vel indignationis, monſtrarent, cum apud quoſdam nihil offenderent ſuum præter nomen aut veſtem, imo vereor (inquit) ne hanc quidem, quod in procliui eſſet oſtendere, ſi liberet commemorare ac perſtringere quorundam accuratū circa veſtes ſtudium & philocoſmiam, cum de exornando homine interiore vix interim cogitetur, ita præpoſtero ſtudio contendimus pleriq; brutam hanc luteamque portionem excolere, neglecta parte rationali. Multa enim extrinſecus promittunt multi, quod ſi paululum reiectis inuolucris ac integumentis propius ad animum contemplandum accedas, reperies pro theſauro carbones. Sic querebatur vir ille, pro decore domus Dei, ſi quis alius, ſua ætate valde ſollicitus. Quantū vero gaudeo vbi etiamnū huius generis reliquias reſtare video. Plurimum vbique mali, & magna vitiorum fœcunditas, in maximam tamen erigor ſpem, Antiſtes ornatiſsime, cum videam in hac noſtra Belgica pleroſq; Abbates parturire quandam, in ſubdi-

tis

tis ſuis morum reformationem, non parum nitoris vitæ monaſticæ breui acceſſurũ. Quod quò præſtẽt cumulatius ampliſsima propoſita mercede viros ſacrarum literarum doctos, ac pulchre inſuper in patrum antiquorum lucubrationibus verſatos, ex academijs floréntiſsimis euocare curant, qui quotidianis prælectionibus elaborent, ignorantiam, totius monaſtices vnicam peſtem procul à cœnobijs profligare. Et profecto (ni mea me fallit opinio) ſpero ſucceſſurum, præſertim cum ita fieri decreuerit ſanctiſsima ſynodus Tridẽtina. Enimuero optimè ſcripſit D. Hieronymus quando indoctum ſacerdotem, animal cæcum, appellauit. Neque abſurde illi dixerunt qui ſacerdotum primã fere virtutem ſapientiam eſſe aſſeuerarunt, quæ ſi coniuncta ferueat pietate, incomparabilem habebit dignitatẽ. Id eleganter expreſsit Spiritusſanctus Exodi ca. 28. & Leuit. ca. 8. Vbi pectori ſacerdotis Rationale affixum (quod erat inter ornamenta ſacerdotalia facile primarium) continebat has dictiunculas, Doctrina & Veritas. *Quid enim æquè decet ſacerdotem ac veritatis*

Concilium tridentinum ſeſsionem. Sa.

Hieronimus in Malachiam

tū doctrina eſſe inſtructum? hoc enim volunt hæ dictiunculæ: unde & diuinus noſter Dionyſius Areopagita in cæleſti hierarchia, à docendi proprietate, ſacerdotes angelos appellat. Sed ut aliquando finiam ornatiſſime Abba, cū mecum nuper diligēter diſpicerem ſub cuius auſpicio, libellus hic potiſſimum euulgaretur, ac publicum peteret, tu unus animo occurriſti qui inter pleroſq́; huius ordinis viros, B. Benedicti ſpiritū verius referres quàm titulum, abſolutiſſimum interim monachi exemplar exprimens, non veſte, ſed vita, (non enim facit habitus monachum, quemadmodum neque philoſophum pertrita toga aut promiſſior barba). Sed reprimam longius in tuas laudes excurrere geſtientem calamum, ne dum ruit inconſultè, tuarum virtutum admiratione abreptus, impar materiæ, rerū pondere fatiſcat et obruatur. Quod reliquum eſt Autorē hunc multo quā hactenus, & cultius, & limatius ſub nominis tui ſplendore, veluti in nouam lucem aſſertum, tuis ſe complexibus ingerentem, æquo fauore ac vultu quæſo ſuſcipias digniſſime Præſul: quod ſi con-

*conſequor, habebo de quo mihi gratu-
ler, & bonas in illo expoliendo horas
collocaſſe non pœnitebit. Vale Præſul
ronatiſsime.*

FRANCISCI MARTINII GANDENSIS.

Quà micat exoriens, quaq; occidit auricomus Sol,
Vnde ferus Boreas, Auſter & vnde ruit.
Ignoti ſæclis populi ſcrutantur auitis,
Dogmata priſcorum relligioſa Patrum.
Temporis hoc doctis debet præconibus huius,
Publica nō fictè cōmoda quiſquis amat.
Tu quoque communi non infeliciter olim,
Bachere cœpiſti, perge ſtudere bono.
Perge ſacros fidei fontes, antiqua ſacrorū,
Illuſtrare pio ſcripta labore virûm.

INDEX CAPITVM HISTORIAE B. IOANNIS DAMASCENI DE vitis & rebus geſtis Sanctorum Barlaam & Ioſaphat.

CAPVT. 1.

Rex Indorum Auennir idolis & impuro luxui deditus, in monachos diuerſam vitam inſtituentes perſecutionem mouet, quibus precipue infenſus erat propter viros aliquot ſenatorij ordinis, qui aulicis delicijs abdicatis eremiticam vitam amplectebantur. Pag. 1.

CAPVT. 2.

Archiſatrapha, qui ex aulicorum turba ad ſolitariæ vitæ quietem tranſierat, à fuga retractus, damnata idolorum ſuperſtitione Regem ad vnius Deì cultum exhortatur, rationem interim ſuæ fugæ reddens, ſed cùm non perſuadet aula eiectus ſolitudinem repetit. Pag. 8.

CAPVT. 3.

Naſcitur Regi filius cui Ioſaphat nomen imponitur, quem conſulti aſtronomi Chriſtianum futurum docent. Rex anxius animi, ædificato palatio, ne vel minima Chriſtiani nominis aura ad illum penetraret filium includit, monachis (dato ad

ad fugam triduo, regno omni interdicit: inde cum viro patricio, qui, quod Chriſtianus eſſet, apud illum accuſabatur, dolo agit, ſe quoque huius religionis amore teneri, ſimulans pag.15.

CAPVT. 4.

Patricius ille ſimulata ſecum mente regem eſſe locutum intelligit, quapropter raſo vertice ac cilicina veſte ſumpta, facile ex regis animo conceptam de ſe ſuſpicionem amolitur. Comprehenſi à rege inter venandum duo monachi, contempta morte concremati ſunt pag.22.

CAPVT. 5.

Ioſaphat cum à pædagogo didiciſſet ob capeſcendæ Fidei metum ſe concluſum, triſtis patri cauſam triſtitiæ aperit, qui veritus ne illi dolor creſceret, iunctis equitibus ſocijs quocunque vellet filium egredi ſinit, qui cum in varios homines incidiſſet, varie afficiebatur pag.26.

CAPVT 6.

Barlaam religioſiſſimus monachus pio commento excogitato ad Ioſaphatum ingreditur, atque parabolam Chriſti de ſemine proponens, multa de extremo iudicio, atq; ſeculi huius pompis abdicandis diſputat pag.35.

CAPVT. 7.

Narrat Barlaam primi hominis creationem & caſum: hinc diluuij ſub Noe mentionem

nem faciens, Abrahæ, Moyſiſque obiter tangit hiſtorias. Deinde filium Dei cœlo demiſſum, mortem acerbiſsimam perpeſſum oſtendit, quem inſuper è ſepulchro ſurrexiſſe rediuiuum, atque poſtremo in cœlos receptum docet pag. 44.

CAPVT. 8.

Ioſaphat Fidei lumine & gaudio perfuſus Barlaamum complectitur, de Baptiſmi virtute, reſurrectione, extremo iudicio, ac bonis operibus multa præclara adferuntur in medium pag. 56.

CAPVT. 9.

Ea que capite ſuperiore parcius & contractius adferebantur, multo hic fuſius aperiuntur, quin & de iuſtorum mercede atque impiorum ſupplicio varia loca ex ſacris literis petita, producuntur pag. 65.

CAPVT. 10.

Ioſaphat corde compunctus, lachrymis vbertim defluentibus conſilium ſuæ ſalutis à Barlaam expetit, qui Baptiſmum illi cōmendans, acriter idola eorumque cultores ſuggillat: mercedem interim ijs qui ab idololatria ad Deum viuum ſeſe conuertunt, producens pag. 76.

CAPVT. 11.

Suſcepto Baptiſmo, opera ſancta Fidei ſunt coniungenda, quod multis ſcripturis confirmatur, hinc eleganter Baptiſmus lachrymarum ſeu pœnitentiæ lapſus neceſſarius

ſarius aſtruitur pag.84.

CAPVT. 12.

Ioſaphato iam ſtudioſe querenti quo pacto ab illecebris ac voluptate quam remotiſſime ſecedere poſſet, varia monachorum genera recenſentur, vnaque vitæ monaſticæ virtutum catalogus contexitur, at ſub capitis calcem miro artificio adducta ſcita quadam ſimilitudine, vitæ præſentis delitias vitandas eſſe docetur pa. 94.

CAPVT. 13.

Diuitiarum fluxam & infidam eſſe poſſeſſionem, neque coniugi aut cognatis nimis fidendum, ſolam vero animi virtutem in rebus aduerſis vnicum eſſe ſolatium tutiſſimumque portum, apta ſimilitudine oſtenditur pag.109.

CAPVT.14.

Barlaam fluida huius mundi bona & inſtabilem vanitatem Ioſaphato vbi demonſtraſſet, ſuo illum exemplo ad opum contemptum pertrahere conatur, atque vt ad futuram ſibi vitam proſpiciat exhortatur, illuc pecuniam tranſmittendo pag.113.

CAPVT. 15.

Eleemoſynæ virtus, qua nobis in cœlo theſaurus paratur, conſulitur, atque apertè oſtenditur, olim viros Sanctos ſuarum rerum abdicationem fuiſſe amplexatos,

tametſi pleriq́ue mortalium inanis gloriæ & impuræ voluptatis errore decepti per diuerſam viam graſſari maluerunt pag.122.

CAPVT. 16

Cùm Ioſaphat de patris ſui eſſet ſalute ſollicitus, bonam illi Barlaam ſpem facit eum aliquando ad mentem meliorem adducendum. Deinde eleganter & ſcite declarat Chriſtianam religionem prima ſpecie rem eſſe inamœnam, ſed ſi intimius perſpiciatur, propiusq́ue cognoſcatur, nihil ea eſſe locupletius, nihil amabilius pag.130.

CAPVT. 17.

Orat Barlaam vt Deus Ioſaphato cordis oculos aperiat atque ex admirabili huius mundi fabrica conſurgit in contemplationem aliqualem Creatoris, cuius numen & maieſtatem ineffabilem prædicat pa. 139.

CAPVT. 18.

Quemadmodum hic carnalis vita non eſt vere vita, ſic neq; mors temporalis vera mors eſt. Monachorum in victu & veſtitu frugalitas. Ioſaphat baptiſmum expetit ac doceri flagitat Monaſticæ vitæ opulentiam. pag.146.

CAPVT. 19.

Ioſaphat baptiſandus accurato cathecíſmo de fidei myſterijs, Euchariſtia, imaginũque

quae cultu inſtruitur, et recitato ac declarato fidei Nicenæ ſymbolo baptizatur, ac ſumpta eucharistia ad capeſſendam virtutem à Barlaam extimulatur pag.156.

CAPVT. 20.

Mundæ orationis vis atque dignitas deſcribitur: ſub finē vero capitis ad præſentium rerum vanitatem, & futurorum æternitatem contemplandam Ioſaphat admonetur pag.167.

CAPVT. 21.

Creber ille Barlaam ad Ioſaphatum acceſſus ſuſpicionem præbuit miniſtris & pædagogis, quare Zardan ſollicitus, regis filium adijt, monens vt à viri Dei conſortio abſtineret. Barlaam autem à Ioſaphato diſcedens, cum multis lachrymis dimittitur pag.173.

CAPVT. 22.

Poſt diſceſſum Barlaam Ioſaphat ad orationem conuertitur, Indicio Zardan patri proditur, qui furore percitus, Arachim virum primarium cum militibus ad Barlaam à fuga retrahendum deſtinat, qui vbi in Monachos ſanctorum reliquias in pera ferentes incidiſſet, plagis & verberibus pene enectos, quod Barlaā prodere nollēt, ad regē captos pertrahit pa.183.

CAPVT. 23.

Eremitarum captorum princeps, ſciſcitanti regi quare oſſa mortuorum patrum cir-

ſeumferrent, aperit, ac conſtanter ſuper Chriſtiana religione cū rege diſceptans, cum alijs decem et ſex ſui ordinis monachis, pulchram petijt per martyrij varios cruciatus & vulnera, mortem Pa. 192.

CAPVT. 24.

Arachis protoconſiliarius regis aſtrologum quendam, cui Nachor erat nomen, ſubornat, qui ſe Barlaam ſimulet, ac regis filium à ſententia deducat. Interea rex filium corripit, quod ab idolis deſciuerit ad Chriſtum, ſed cum nihil proficeret, ira inflammatus acerba, omnia comminatus eſt, niſi religionem mutaret. Pag. 198.

CAPVT. 25.

Vbi iratus pater abiſſet, Ioſaphat ardentiſſimis precibus Dei poſtulauit auxiliū. Et cum pater cōſilio Arachis vſus blandis et ad gratiam compoſitis ſermonibus filio perſuadere conaretur, nihil egit, egregiè de morte et reſurrectione Ioſaphato philoſophante. pag. 212.

CAPVT. 26.

Adornatur diſputationis certamen inter gentium philoſophos & commentitium illum Barlaam, deſcenditur ad certamen. Ioſaphat Nachorem perterrefacit, adeo vt is qui deſcenderat in arenam animo cedendi philoſophis, mutato conſilio totus pro Ioſaphat eiusque religione ſtetit pag. 222.

Caput

CAPVT. 27.

Eleganter Nachor oſtendit elementa non eſſe Deos, non ventos, non ſolem, aut lunam, non hominem quemuis. Hinc Saturnum, Iouem, Vulcanum, Mercurium, Aſclepium, Martem, Bacchum, Herculem, Apollinem, Dianam & Venerem, diuinitate omni exuit, Iudæos reijcit, ſed Chriſtianos ſolos veram habere religionem demonſtrat. pag. 230.

CAPVT. 28.

Confutatis philoſophis Rex animi dolore atque furore vehementer commouetur. Nachor autem per Ioſaphatum ad Chriſti fidem conuerſus è palatio profugit in vaſtiſſimam ſolitudinem, vbi à ſacerdote, quē forte reperit, Baptiſmi ſignaculo Chriſto inaugurari poſtulauit. Rex verò philoſophos male mulctatos eiecit, ac idolorum ſecum impotentiam conſiderans vacillare ac nutare cœpit: Ioſaphato interim plurimos ad veram fidem conuertente pag. 246.

CAPVT. 29.

Theodas magus ab idolorum Sacerdotibus euocatus, deorum cultum inſtaurat ac regem tepidum, mirum in modum ad priſtinam inſaniam inflammat, cui ſuggerit vt filium impudicarũ puellarum congreſſu à propoſito deijciat pag. 255.

CAPVT. 30.
Inani fabula propoſita Regem in ſetentiam ſuam adducens Theodas, vnam atque alteram puellã formæ præſtantia ſingulari ad Ioſaphatum deſtinat. Ille verò ad aßiduas preces conuerſus, ac lachrymis laxans habenas, & puellarum & dæmonum pariter oppugnantium conatus omnes irritos reddit pag. 261.

CAPVT. 31.
Signo crucis pellantur dæmones. Ioſaphat cum Theoda diſputando commiſſus, acerrimè tum ipſum increpat, tum muta ſimulachra deteſtatur, vnumque Deum prædicat pag. 275.

CAPVT. 32.
Ioſaphato euangelij fideique lucem aperiente atque deorum infirmitatem & abſurditatem confutante, cùm Theodas veluti tonitrui fragore percelleretur, Rege & conſiliarijs præſentibus in Chriſti religionem manibus pedibusque concedit ac omnes ſuperſtitionis ſuæ libros flãmis corrumpit pag. 285.

CAPVT. 33.
Auennir conſilio Arachis filium diademate ornat, ac bonam regni partem illi tranſcribit, qui confeſtim dedicato tẽplo Chriſti crucem adorari præcipit. Deinde Ioſaphat quotidiano hortatu multo maximam populi partem Chriſto lucrifecit, Chri-

Chriſtiani etiam qui exilio olim mulcta-ti fuerant, poſtliminio læti ſunt reuerſi pag.294.

CAPVT. 34.

Rex Auennir iam melior, mentem acci-pit in Chriſtianos benignam, filium vo-cat, qui, Deo fuſa prece propitiato, pa-tri verbum ſalutis proponens, vnius Dei fidem accuratè declarat. pag.302.

CAPVT. 35.

Compunctus animo rex idolis bellum indi-cit, atque euerſis delubris oratoria Chri-ſto ibi ædificat, ſed quatuor annorum decurſo per pœnitentiam ſpatio ex hu-manis, præſente filio, ac ad meliorem ſpem patris animum erigente, diſceſſit, atque inter ſanctos ſepelitur, filio ſeptem diebus multis precibus parentante, ac iu-ſta exoluente. pag.309.

CAPVT. 36.

Lapſis à patris morte 40. diebus, coacto om ni populo abrogatum ſibi ſua ſponte im-perium in Barachiã transfert Ioſaphat, ac curuatis genibus cum lacrbrymis Do-minum precatus, plangente & vlulante præ animi dolore populo omnibus vale-dicit, atque ingens ſui deſiderium relin-quens in ſolitudinem concedit pag.316.

CAPVT. 37.

Ioſaphat per ſolitudinem oberrans, ſola per viam oblata herba, vitam difficulter ſuſ-

ſuſtentabat. Erat vero illi continuus ferè conflictus cum generis humani aduerſario, qui varijs technis irretire illum conabatur, ſed Chriſti miles crucis ſigno obarmatus, omnia illius machinamenta diſſoluit pag. 327.

CAPVT. 38.

Iam biennio hic atque illic quæritando conſumpto, Monachi cuiuſdam indicio Barlaam inuenit. Ruunt in oſcula, atque feruentiſſimas coniungunt preces, hinc accumbunt menſæ vili oluſculo & dactylis paucis inſtructæ, atq; ad eum modum permultos annos vnà vitam agebant pag. 333.

CAPVT. 39.

Barlaam vitæ ſibi finem adeſſe Ioſaphato indicat, varijs illum immodicè lachrymantem documentis inſtruens, vbi verò iam adeſſet ea, quæ erat ei humanorum operum hora extrema, ſigno crucis ſeipſum conſignans, hilari vultu vitam cum morte commutauit.

CAPVT. 40.

Ioſaphat cum pſalmis & lachrymis Sanctum Barlaam ſepelit, deinde cum vitæ ſanctimonia ipſos fere angelos adæquaret, tandem viuendi finem fecit, atque à viro quodam ſancto ipſi Barlaam, eidem illatus tumulo coniungitur. Rex autem Indorum Barachias luminis fili-

os cum luminibus multis ad regnum ſuum transfert, plurimaq́ue circa ſanctos æduntur miracula. pag.348.

Indicis Capitum ſeu Argumentorum in Hiſtoriam B. Ioannis Damaſceni de Vitis & rebus geſtis SS. Barlaam & Ioſaphat.

FINIS.

ALOISIVS LIPOMAnus Epiſcopus Veronenſis in epiſtola ad D. Ioannem Bernardum, Epiſcopum Calaguritanū, quam præfixit vitæ Barlaam.

QVæ fuerit ſanctæ matris Eccleſiæ indubia ſemper et inuiolata fides, ex hac hiſtoria quilibet perdiſcere poterit, in qua (ſicut olim in Deuteronomio legis, iteratio facta eſt) totius Euangelicæ diſciplinæ doctrina ad longum repetita videtur, quam ſanctiſsimus Barlaam Regium adoleſcentem ea ſpiritus plenitudine, qua totus afflatus erat, luculenter edocuit. Ea igitur ne te diutius detineat, Antiſtes digniſſime, eſt huiuſmodi.

VITA BEATORVM BARLAAM ET IOSAPHAT CONFESSORVM, ET

Sanctorum Monachorum agones & martyria ſub Auenniro rege Indię paſſorum, per D. Ioannem Damaſcenum ſcripta, nuper è Gręco in Latinum verſa, & Aloyſij Lippomani ſcholijs illuſtrata.

Rex Indorum Auennir, idolis & impuro luxui deditus, in Monachos diuerſam vitam inſtituentes, perſecutionem mouet, quibus præcipuè infenſus erat, propter viros aliquot ſenatorij ordinis, qui aulicis delicijs abdicatis, eremiticam vitam amplectebantur.

CAPVT I.

CVM cœpiſſent monaſteria conſtrui, ac monachorum cõgregari multitudines, & illorum virtutum, & angelicæ conuerſationis fęlix fama fines orbis occuparet, & vſque ad Indos perueniret eoſdem ad ſimilem zelum excitauit: ita quod multi eorum omnia deſererent, ac peterent deſerta, & in cor

Nota, hæretice, quantæ ſint laudes Monachorum.

pore mortali conuerſationem ſuſcipe-rent angelorum. Rebus igitur ſic bene ſe habentibus, & aureis (vt ita dicam) pennis, multis in cœlum volātibus, ſurrexit quidam rex in eadem prouincia Auennir nomine: magnus quidem factus diuitijs, & potentia, & contrà aduerſarios ſuos victorioſus, & in bellis ſtrenuus. Erat enim corporis magnitudine, pariterque vultus decore venerādus, omniumque mundialium rerum citò marceſcentium ſucceſsibus gloriabatur: ſecundum verò animam vltima grauabatur inopia, multis malis ſuffocatus: Gentilis namque erat profeſsionis, nimiumq; ſuperſtitioſo errori idolorum deditus. Cumque in multis delitijs viueret, & delectationibus atque iucunditatibus præſentis vitæ deditus eſſet ex toto corde, nihilque quod vellet, atq; deſideraret, ei deeſſet: vnum tamen videbatur eſſe quod lætitiā illius minuebat, curisque ac ſolicitudinibus ipſius animam affligebat, videlicet ſterilitatis malum: nam filios habere nō poterat, & idcirco multum ſolicitus erat quatenus tali vinculo ſolueretur, pater filiorum vocaretur: quæ res multis eſt optabilis. Talis itaque rex erat, & talē intentionem habebat.

Glorioſiſsimum verò genus Chriſtianorum

anorum, & monachorum multitudi-
nes,regis cultum vilipendentes, &pror
ſus minas eius non formidantes,pro-
ficiebant Chriſti gratia, ad ſermonis
meliorem plenitudinem traditi, parui-
pendentes regem, regisque ſermonem:
ea verò quæ ad Dei cultum pertine-
bant,ſtudioſius agebant. Et ideo mul-
ti qui monachicum ſuſceperant ordi-
nem,omnes quidem æqualiter mundi
delectationes à ſe repellebant:Ad vni-
us verò Dei cultum tota intentione ſe
contulerant,& pro Chriſto mortem ſi
tiebant,æternam deſiderantes beatitu-
dinem. Prædicabāt ergo ſine timore a-
liquo,& dilatione,& valde cōfidenter
ſalutare Dei nomen,& nihil aliud niſi
Chriſtum in ore habebant. Fluidam ve
rò & corruptibilem naturam preſenti-
um rerum,& ſtabilitatem atq; incorru
ptionē futuræ vitæ, apertè cunctis de-
monſtrabant,& ſe ipſos illis exemplū *Col. 3.*
præbebāt,& prædicationis ſemina ſpar
gebant,vt familiares illos Deo effice- *Vitam quæ in*
rent,quatenus,quæ in Chriſto abſcon- *Chriſto abſcon*
dita eſt,vitam mererentur. Hinc multi *dita eſt mere-*
dulciſsimam illam doctrinam ſuſcipi- *rentur.*
entes,amaras quidem deceptionis deſe
rebant tenebras, clariſsimoq; veritatis
lumini iungebantur : adeò vt quidam
nobilium atque ſenatorū,omnia depo-

 nentes

nentes vitæ ſeculi onera, monachi fierent.

Rex autem vt hoc audiuit ira maxima repletus, atque furore ſuccenſus, edictum ilico poſuit, omnem Chriſtianum coarctari, vt negaret fidē Chriſti. Vnde nouas contra ipſos quidem Chriſtianos ſpecies tormentorum excogitabat, & ſtudioſè perquirebat, nouos mortium modos minabatur eis, & literas per vniuerſas ſibi ſubiectas prouincias delegabat principibus atq; ducibus, pænas aduerſus pios, & neces iniuſtas decernens: Præcipuè verò aduerſus monaſterij ordinis prępoſitos furens, atrociſsimum contra eos atq; ineffabile excitauit bellum. Tunc multi fideliū mente commouebantur: Alij verò tormenta ſuſtinere non valentes, execrabili illius obediebant pręcepto. Monaſtici autem ordinis duces ac principes, palàm quidem atque in facie regis impietatem redarguentes, per martyrium, temporalem vitæ finem ſortiebantur, & æternam acquirebant beatitudinem. Alij verò in ſolitudinibus & montibus abſcondebantur, non quòd tormēta metuerent, ſed diſpenſatione quadam diuina hoc agebant.

Vide quomodo intelligant præceptum deſertionis bonorum ſeu facultatū.

Huiuſmodi ergo obſcuritate Indiam occupante, & fidelibus quidem

vndi-

vndique repulſis, impietatis verò miniſtris omnia tenentibus, cruoribus & nidoribus ſacrificiorum etiam ipſo iam aëre inquinato, quidam regis Archiſatrapa, qui dignitate, qui animi cōſtantia, magnitudine, atque forma, & omnibus alijs, quibus pulchritudo corporis & fortitudo ſignificari poteſt, ab alijs omnibus differebat, vt audiuit impium illud pręceptum, valefaciens huic vanæ gloriæ deorſum trahente, atque delitijs temporalibus, monachorū prępoſitis ſemetipſum commiſcuit, montium deſerta petens: ibique ieiunijs & vigilijs, ac diuinorum eloquiorum meditationi intentus, ſenſus ſuos vigilanter emundabat, & animam ab omni liberans paſsibili affectu, impaſsibilitatis lumine illuſtrabat. Rex autem hunc valde diligebat, & in honore maximo habebat: Qui poſtquam audiuit de eo talia, doluit quidem animo, quoniam amicum perdiderat: contra monachos verò amplius exarſit in iram. Miſit itaque vbiq; ad eius inquiſitionem, & omnem lapidem, ac montium concaua, & ſpelūcas, vt inueniretur, perquiri fecit.

Apud monachos ieiunijs, vigilijs, ac diuinorū eloquiorum meditationi intentus.

Poſt aliquantum verò temporis hi qui ad inquiſitionem illius directi fuerant, vt ſenſerunt in deſertis eum habitationem habere, perſcrutantes, inuene

runt eum. Quem comprehendentes, regis tribunali exhibuerunt. Videns autem rex ſic in paupere & aſperrimo veſtitu, illum videlicet, qui ſplendidis aliquando induebatur veſtimentis, & multis affluebat delicijs: nunc verò maceratum dura anachoreſeos conuerſatione, & eremiticæ vitæ patienter opertum veſtimentis, triſtitia ſimul & ira replebatur, & ex ambobus ſermonē miſcens, ait ad eum: Oſtulte & mentis perditę, cuius rei gratia mutaſti honorem in contumeliam & ſplendentē gloriam in hunc ignominioſum ac vilem aſpectum: es primus in regno meo, & meæ archiſtrategos potentiæ, Ludū puerorum temetipſum conſtituiſti, non ſolum noſtræ amicitiæ atque fiduciæ oblitus, ſed & contra ipſam inſurrexiſti naturam, & neque propriorum filiorum miſertus, diuitias & omnē vitę gloriam pro nihilo reputaſti, & tantam inhonorationem inclytę prępoſuiſti gloriæ: vt quid hoc feciſti? & quid hinc lucraberis quod omnibus dijs, videlicet & hominibus illum, qui dicitur Ieſus prætuliſti, duramq; etiam iſtā & ſuperſtitioſam conuerſationem delectationibus atq; iucūditatibus dulciſsimæ vitæ huius?

Ecce veſtitus aſperitas in monachis & dura conuerſatio.

Impiorum vox.

Hæc audiens ille homo dei, hilariter

ſimul

ſimul ac planè reſpondit: Si rationem à me audire vis, ô rex, inimicos tuos de medio prætorij tui eijce, & tunc reſpondebo tibi de quibuſcunque interrogare volueris. Illis namque præſentibus nullus à me tibi ſermo reddetur. Præter rationem verò, torque, occide, fac quod vis. Mihi enim mundus crucifixus eſt, & ego mundo, ait doctor meus. *Galat. 6.* Rege autem dicente, & qui ſunt inimici iſti, quos de medio pellere me iubes? Ait vir ſanctus, ira & concupiſcentia. *Ira & concupiſcentia, duo vehementiſsimi hoſtes.* Hæc enim ab initio quidem cooperatoria naturæ ab autore inducta ſunt, & nunc ſimiliter habent ea quæ non ſecundum carnem conuerſantur, ſed ſecundum ſpiritum. In vobis autem qui toti eſtis carnei, & nihil habetis ſpiritus, contraria facta ſunt, & quę inimicorum & hoſtium ſunt, agunt. Nam cōcupiſcentia in vobis operatur quidē voluptatem & incitat, ira verò deſtruit. Abſcedant igitur hodie iſta à te: aſsideant verò ad audientiam dicendorum atque iudicium, prudentia & æquitas. Si enim iram & concupiſcentiam de medio tuleris, & pro his prudentiam & æquitatem adduxeris, omnia veraciter dicam tibi. Ad hæc rex ait: Ecce annuens tuæ poſtulationi, eijciam de concilio concupiſcentiam & iram, in

medium verò adducere prudentiam, & æquitatem faciam: Dic ergo mihi ſecretè, vnde tibi tantus error factus eſt, vt quæ inani ſpe conſiſtunt, præponas his, quę in manibus habentur, & oculis videntur? Reſpondens autem eremita, dixit.

Archiſatrapa, qui ex aulicorum turba ad ſolitariæ vitæ quietem tranſierat, à fuga retractus, damnata Idolorum ſuperſtitione Regem ad vnius Dei cultum exhortatur, rationem interim ſuæ fugæ reddens, ſed cum non perſuadet, Aula eiectus ſolitudinem repetit.

CAPVT II.

SI initium quæris ô rex, vnde mihi factum eſt, temporalia quidem deſpicere, totumque meipſum æternorũ ſpei dediſſe, audi: In diebus antiquis cum valde iuuenis eſſem, audiui verbum quoddam bonũ & ſalutare, & me fortiter huius virtus rapuit, & quaſi cuiuſdam diuini ſeminis, huius memoria in meo plantata eſt corde, inſeparabiliterque ſemper conſeruatur: adeò vt radicata ſit & exorta, & quem cernis fructum attulerit in me. Verbi verò virtus hæc fuit: Viſum eſt (inquit) inſipientibus ea quidem quæ ſunt deſpicere quaſi non ſint: quę verò non ſunt, quaſi

ſi ſint apprehendere & continere. Qui ergo non guſtauit eorum quæ ſunt dulcedinem, non poterit eorum, quæ non ſunt addiſcere naturam. Ignoras autem quomodo iſta deſpiciet. Exiſtentia quidem vocauit ſermo æterna & non mutabilia: non exiſtentia verò, præſentem vitam & delicias, atq; fallacẽ proſperitatem, quibus ô Rex, malè heu cor tuum addictum eſt. Ego etiam his aliquando detinebar, ſed verbi virtus exuperans animam meam, indeſinẽter incitat mentem meam ad id, quod melius eſt eligendum. Lex verò peccati, reſiſtens legi mentis meæ, & quibuſdam ferreis compedibus vinciens me, affectu præſentium captiuum tenebat. *Rom. 7.*

Quando autem complacuit bonitati ac benignitati Saluatoris noſtri Dei, vt liberaret me de ſæua illa cupiditate, cõfortauit mentem meã, vt vinceret legẽ peccati, & aperuit oculos meos, vt diſcernerem bonum à malo. Tunc iã conſideraui & vidi, & ecce omnia præſentia vanitas & afflictio ſpiritus: ſicut & Salomon ſapientiſsimus dicit in ſuis ſermonibus. Tunc ſublatũ eſt de corde meo velamẽ peccati, & quę ex corporali craſsitudine ſuperpoſita erat animæ meæ nigredo tetra diſcipata eſt, & cognoui ad quod factus ſum, et quia o- *Eccl. 1.*

Oportet me ad autorem meum aſcendere per ipſius operationem mandatorum. Ergo non per ſolam fidē vt præſentes volunt hæretici.

Pſalm. 39.

Monachiſmus via compendioſa et facilis per quam in hoc corpore fragili angelicam quis poteſt ducere conuerſationem.

portet me ad autorem meum aſcendere per ipſius operationem mandatorū. Vnde omnia derelinquens ſecutus ſum eum, & gratias ago ei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, quia eruit me de lacu miſeriæ & de luto fecis, id eſt poteſtate ſæuiſsimi exterminatoris, principis tenebrarū ſeculi huius, & oſtendit mihi viam compendioſam & facilem, per quam potero in hoc fragili ac fictili corpore, angelicam ducere conuerſationem. Quam appræhendere cupiens, ſtrictam & arduam adamaui pergere viam, condemnando preſentium vanitatem, & inſtabilem impetum iſtorum, ac reflexum: & neſcio aliquod aliud bonum vocare, præter illud quod verè bonum eſt, à quo miſerrimè tu ô rex, abruptus es & diſiunctus. Vnde te deſeruimus, & à tuo conſortio nos ſeparauimus, eo quòd in certam & euidentem te præcipitaſti perditionem, & ad æquale vrges deducere nos periculum. Nam quandiu mundanā exercuimus militiam, nihil eorum quę decebāt nos prætermiſimus: ſicut & ipſe nobis teſtimonium perhibes, nec inertiæ alicuius aut negligentię aliquando crimen incurrimus.

Quando verò & ipſum omnium bonorum principale bonum à nobis ampu-

amputare contendis, ideſt, pietatem & deum deſerere, quod damnis eſt omnibus præferendum, & propter hoc honores ac munera repromittis: quomodo boni noticiam te habere vllam rectè dicere poſsim, cum ex æquo prorſus comparas ipſa ad inuicem (pietatē dico in deum, & amicitiam humanam & gloriam) velut aquam defluentem? Quomodo ergo tibi in hoc communicare poſſumus, & non magis è cōtrario amicitiam & honorem & affectum filiorum, & ſi quid aliud erat negabimus? Videmus enim te ô rex ingratū eſſe Deo, qui & ipſum tibi eſſe & reſpirare prebuit, qui eſt Chriſtus Ieſus dominus vniuerſorum, coæqualis & coæternus Deo patri, qui cęlos verbo & terrā ſtabiliuit, hominemq; manibus proprijs formauit, & hunc immortalitate donauit, regemque cunctorum quæ in terra ſunt, conſtituit, & quaſi regalem ſedem omnibus pulchriorē paradiſum ei ſubdidit: qui inuidia diaboli deceptus & voluptate, heu proch dolor, illectus, miſerrime, ab vniuerſis his corruit bonis. Nam qui prius erat deo dilectus, factus eſt miſerrimus, lachrymis propter ſuā miſeriam omnimodo plangendus. Sed qui nos formauerat & creauerat, benignis rurſus reſpiciens oculis, opus ma-

Gen. 3.

anuum ſuarum cùm Deus eſſet, non amittens quod erat ab initio, factus propter nos abſque peccato, quod ſumus nos, crucē ſpontè ac mortem ſuſtinens, hoſtem iam ſupradictum, qui primum parentem noſtrum deceperat, deiecit, & de illius amara ſeruitute nos redimens, in priſtinam benigniſsimè reſtituit libertatem. Et vnde propter inobedientiam cecideramus, illuc denuò ſua nos reduxit miſericordia, potiori nos priſtino honore efficiens dignos.

Tu autem illum, qui talia propter nos paſſus eſt, & talibus nos bonis iterum dignos effecit, ipſe reſpuis, & in illius crucē offendis: Totus verò delicijs corporis deditus, & exterminandis ſubditus paſsionib9, & deos appellas, ignominiæ & confuſionis idola: & non tantũ te ipſum cœleſtium bonorum hæreditate alienum efficis, ſed omnes, qui tuis præceptis obaudiunt, ab hac iam deiecisti, & animarũ periculo tradidiſti. Scito igitur, quod ego non credã tibi, nec acquieſcam aut communicabo tibi in huiuſmodi contra Deum impietate, neque meum benefactorem & ſaluatorē negabo, etiam ſi me beſtijs deuorandũ proijcias, vel gladio & igni tradas: quod nunc tuæ eſt poteſtatis. Non enim mortem timeo, nec amo preſentia, mul-

Nibil ſtabile in mundo.

multam eorum cognoſcens infirmitatem: Quid enim in ipſis vtile eſt, vel ſufficiens, aut ſtabile? Nec hoc ſolùm, ſed et in ipſo ſuo eſſe, grandis ineſt eis miſeria, & multa triſtitia, multaq; ſine intermiſsione ſolicitudinis cura. Nā lætitiæ ipſorum & dilectationi, omnis copulatur dolor & triſtitia. Diuitię ipſorū ſunt penuria, & ſublimitas ipſorum vltima deiectio. Et quis eorum mala enumerabit? Quod tamen per modica verba mihi, meus theologus inſinuat, inquiens, Mundus totus in maligno poſitus eſt, & Nolite diligere mundū, neq; ea quæ in mundo ſunt, quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorū, & ſuperbia vitæ. &, Mundus tranſit & concupiſcentia eius. Qui autem facit volūtatem Dei, manet in æternum. *Ioan.* 5.

Hanc igitur voluntatem Dei bonā exquirens, dimiſi omnia, & adhæſi illius habentibus deſideriū, & eundē quærentibus Deum: In quibus non eſt contētio aut inuidia, triſtitia vel ſolicitudo ſed omnes æqualem peragunt greſſum vt ad æternas perueniant manſiones, quas parauit pater luminum diligentibus illū. Hos ego parentes, hos ego fratres, hos amicos & notos poſſedi. Ab illis verò qui aliquando mihi fuerunt

amici & fratres, elongaui fugiens, &
Pſalm. 52. manſi in ſolitudine, expectans Deum,
qui ſaluum me fecit à puſillanimitate
ſpiritus & tempeſtate. His ita facile
& luculenter à Dei homine pronunciatis, rex commouebatur quidem ab ira: & amariſsimè torquere ſanctum volebat, ſed retardabatur denuò & reuocabatur, honorem illius atque nobilitaté reuerenter conſiderans. Exorſus ergo (inquit) ad eum: Vndique miſer tui ipſius meditatus es perditionem ad hanc (prout arbitror) à fortuna perductus. Acuiſti nanque mentem ſimul & linguam tuam, quatenus fatuam iſtam ac vanam fabulationem garriendo effutires. Sed niſi in principio ſermonis promiſiſſem tibi, quod de medio concilij iram remouerẽ, nunc vtiq; igni tuas carnes traderem. Quoniam verò anticipans, talibus me circunueniſti ſermonibus, ſuffero modò tuam procacitatem, quin & propter priorẽ meã erga te amicitiam. Surge ergo, & fuge ex oculis meis, ne vltrà te videam & malè te perdã. Tunc egreſſus vir Dei ſeceſsit in deſertum, contriſtatus quidem quod martyriũ, nõ ſuſtinuit. Martyriũ tamẽ quotidie in conſcientia tolerabat, pugnans aduerſus principes, & poteſtates aduerſus mundi rectores tenebrarũ ha-
rum

rum, contra ſpiritualia nequitiæ, ſicut ait beatus Apoſtolus. Illo igitur abeunte, amplius rex iratus, perſecutionē vehementer cōtra monachorū meditatur ordinem, ampliorique honore idolorum cultores veneratur ac pontifices.

Naſcitur Regi filius, cui Ioſaphat nomen imponitur, quem conſulti Aſtronomi, Chriſtianum futurum docent. Rex anxius animi ædificato palatio, ne vel minima Chriſtiani nominis aura ad illum penetraret, filium includit, monachis (dato ad fugam triduo) regno omni interdicit: inde cum viro patritio, qui quod Chriſtianus eſſet apud illum accuſabatur, dolo agit, ſe quoque huius religionis amore teneri ſimulat.

CAPVT III.

CVm in tali ergo rex eſſet errore crudeli & ſeductione, naſcitur ei filius pulcherrimus. Qui ex ipſo florido decore, quod futurum de eo erat, præfigurabat. Dicebatur enim, nequaquam in terra illa talem aliquando apparuiſſe gratiſſimū ac ſpecioſiſſimum puerum. Gaudio itaque rex maximo in natiuitate eius gauiſus, hūc quidem Ioſaphat vocauit. Ipſe autē ad templa idolorum ſtultus abijt, inſipientioribus ſe dijs immolaturus, & gratiarum actiones

nes & hymnos & laudes redditurus, ignorans miſer, quis verè bonorū autor ſit omnium, cui ſpirituale oportebat offerre ſacrificium. Ille autē inanimatis & ſurdis cauſam pueri ſibi nati adſcribens, vbiq; tranſmiſit, vt congregarentur multitudines, ad iſtius pueri natalitia Tunc vidēs omnes confluere, timore regis afferentes ſecum quæ ſacrificia erant idonea, ſicut cuiq; poſsibile erat, & manus illius inuenire poterat, & regalem dignitatem decebat. Maximè verò ipſe eos prouocabat ad ſolennitatē. tauros plurimos & maximos ad immolandum afferens. Et ſic celeberrimo feſto peracto, cunctos honorificauit muneribus, tam maiores, quàm minores, tam nobiles, quàm ignobiles.

In ipſa verò ſolennitate conuenerūt ad regem prælecti viri quaſi LV. circa aſtronomicam Chaldæorum ſapientiā vacantes: Et hos proprius accerſitos ad ſe rex, rogabat edicere ſingulos, quid futurus eſſet puer, qui ſibi natus erat. Illi verò plurima perſcrutantes, dicebant illum magnū eſſe futurum in diuitijs & potentia, & ſupergreſſurū omnes, qui ante eum fuerunt reges. Vnus autem de Aſtrologis exellentior cunctis, ait: Sicut ex his quæ me docuerunt aſtrorū curſus valeo cōijcere ô rex, pueri huius

pro-

profectus, qui nunc natus eſt tibi, non in tuo erit regno, ſed in alio meliori & incomparabiliter eminentiori. Aeſtimo verò illum quam perſequeris Chriſtianorum religionem fore ſuſcepturum, nec puto quod ſua ſpe ipſe priuetur. Hęc quidem aſtrologus dixit, ſicut olim Balaam aſtrologia non vera pronunciante, ſed Deo per aduerſarios ea, quę ſunt veritatis ſignificante, vt omnem impijs excuſationem adimeret.

Rex igitur vt audiuit talia, grauiter hanc ſuſcepit annunciationē, triſtitiaq; mox illi lætitiam intercîdit. In ciuitate itaq; ſeorſum palatium ædificauit ſpecioſiſsimum, & in eo cameras ſplendidas, artificioſè atq; operoſè conſtruxit, ibique puerum poſuit ad habitandum. Poſtquam infantiæ cōpleuit ętatem, & inacceſsibilem omnibus fore imperauit, pædagogos illi & miniſtros conſtituens iuuenes ætate, & aſpectu pulcherrimos, præcipiens illis vt nihil horum quæ in hac vita triſtitiam generant, manifeſtum illi facerent: non mortem, nō ſenectutem, non infirmitatem, nō paupertatem, nec aliquid aliud, quod eum contriſtaret, et lętitiā ei minuere poſſet ſed omnia iucunda, & delectabilia ei proponerent: quatenus his mens ipſius iucundata & delectata, nihil omnino

no de futuris cogitare valeret. Præcepit etiam vt nec modicũ verbum de Chriſto, & de ipſius dogmatibus penitus audiret. Hoc etenim magis omnibus occultare ei cupiebat, aſtrologi metuens prenunciationem. Si quē verò miniſtrã tium ei infirmare cõrigiſſet, hunc mox inde iubebat eijci: alium verò prò ipſo floridum & ſanum dabat, vt nihil omnino fœdum vel enorme oculi viderent illius pueri. Rex verò ſic iſta diſponebat & faciebat Videns nanq; non videbat, & audiens non intelligebat.

Audiens autem quoſdam monachos adhuc ſupereſſe, quorum nec veſtigium remanſiſſe putabat, furore replebatur, & vehementiſsimè contra ipſos agitabatur. Præcones itaq; per vniuerſas ciuitates & regiones præcepit diſcurrere, clamãtes, vt null⁹ omnino poſt tres dies horum monachorum inueniretur: ſi autem aliqui inuenirentur poſt determinatos dies, per ignem & gladiũ perditioni traderentur. Iſti enim ſunt (inquit) qui ſuadent populo, vt quaſi Deo, intendãt crucifixo. Interea quiddã tale accidit, vnde ſæuior ac truculẽtior rex efficeretur, & contra monachos ardentius iraſceretur. Nam vir quidã erat de nobilioribus, & qui inter primos illius regni præpollebat, vita quidem man-

manſuetus, fide pius, & ſuæ ſalutis ſoli citus, ſed latebat propter timorē regis. Vnde quidamq́; propter familiaritatem atque fiduciam quam apud regem habebant, qua eum arte cōuincerent meditabantur, & hoc facere omni ſolicitudine ſatagebant,

Cùm aliquando ad venationem rex egrederetur, cum conſueta ſibi obſequentium multitudine, vnus erat ſenatorum bonus vir ille. Ambulante verò ipſo ſingulariter, ex diuina ſibi, ſicut arbitror, diſpenſatione contingit illud. Inuenit nanque hominē in loco quodam nemoroſo in terram proiectum, & male habentem pedem à beſtia contritum. Qui videns eum prætereuntem rogabat ne pertranſiret illum, ſed miſereretur eius in tam malo euentu, & in ſuam domū deferret: ſimul iſtud adijciens, quod non inutiliter tibi, & omnino inefficaciter (inquit) inuentus ſum ego. Ille autē vir inclytus dicit ei: Ego quidem propter naturam ſuſcipiam te, & curationem tibi quantum potero exhibebo: ſed quod eſt proficuum, quod à te mihi futurum eſſe dixiſti? Pauper autem ille & infirmus ait: Ego homo ſum medicus verborū: ſi enim aliquando in verbis aut colloquijs lædatur aliquis, aut in tribulatione inueniatur, cō-

gruis

gruis medelis ita curabo, vt non amplius morbus ſuccreſcat. Igitur religioſus vir, quod dictum fuerat pro nihilo computauit. Illum verò propter mãdatum Dei conducere in domũ ſuam fecit, & competentem curam ei exhibuit. Suprà verò memorati inuidi illi ac malicioſi, quam nuper conceperant malignam nequitiam, ad effectũ perducere non differunt. Nam derogant viro apud regem, quia non tantũ illius amicitiam obliuiſcens, negauit deorum cultum, & ad Chriſtianorũ fidem declinauit, ſed etiam mala aduerſus ipſius meditatur regnum, turbam peruertẽs atq; ſolicitans, & ſibimetipſi cunctos concilians. Sed ſi vis (inquiunt) certus fieri nihil nos fictum dicere, voca eum ſeorſum, & dic tentãdo, velle te derelinquere paternam ſectã, & gloriam regni, & Chriſtianum fieri, & monachicũ ſumere habitum, quem quondam perſecutus es, quaſi non bene ſit à te hoc factum. Talia nequiter aduerſus virum machinantes, nouerãt ipſius voluntatis mundiſsimã deliberationẽ, quia ſi talia à rege audiret, illi quidẽ melius requiſitus conſilium eſſet daturus: hoc eſt, vt non negligeret perficere quę bene cogitauerat, & ex hoc vera dicere illi probarentur.

Rex autem erga ſe viri amicitiam quanta eſſet non ignorans, incredibilia & falſa quæ dicta fuerant ſuſpicabatur: nec tamen ſine examinatione fore relinquendum, ſed probare rem ad derogationem cogitabat. Vnde aduocans eum ſeorſum, ait ei, tentans: Noſti ô amice quanta mala oſtendi monachis, & omnibus Chriſtianis? Nunc verò pœnitentia ductus ſuper hoc, & deſpiciens præſentia (ſpe illius immortalis regni quod prædicant) ad aliam futurã vitam cupio pertingere: nam præſens morte vtiq; amputabitur. Non aliter verò hæc me conſequi poſſe arbitror, niſi Chriſtianus fiam, & abrenuncians gloriæ regni mei, & cæteris delectationibus & iucũditatibus huius vitæ, eremitas & monachos requiram vbicunq; ſint, quos iniuſtè perſecutus ſum, illisq; me ipſum admiſceam. Ad hoc quid dicis ipſe, & quale das conſilium? dic ipſam veritatem: noui te enim ſuper omnes veracem & bonum hominem eſſe. Ille verò vt hoc audiuit, nequaquam oc cultũ dolũ intelligens, cõpunctus animo, & lachrymis perfuſus, ſimpliciter reſpondit: Rex in æternum viue, conſili lium enim bonum & ſalutare reperiſti. Quia etſi difficile eſt ad inueniendum cœlorum regnum, attamen hoc omni

virtu-

virtute eſt quærendũ. Nam qui quęrit, inuenit illud. Delectatio enim præſentium, etſi in præſenti iucunda ſit & delectet, ſed tamen bonũ eſt illã abijcere. Nam in ipſo ſuo eſſe nõ eſt: & quod lętificat, ſeptempliciter rurſus cõtriſtat. Nam bona eius & triſtitia, vmbra ſunt infirmiora, & quaſi veſtigium nauis per mare tranſeuntis, aut auis per aëra volantis mox diſpereũt. Futurorum verò ſpes (quam prędicant Chriſtiani) firma eſt et ſtabilis, tribulationẽ tamen habet in mundo: ſed noſtra nunc iucunditas breuis temporis, ibi nihil aliud niſi pœnam ſolam inũeniet, & tormẽta per ſecula duratura. Nam dulcedo horũ, temporalis: dolores verò, perennes. Chriſtianorum autem labor temporalis eſt, dulcedo vero & ſacietas æterna. Dirigatur ergo regis bona voluntas. Bonũ enim & nimis bonum eſt, corruptibilia æternis commutare.

Patricius ille ſimulata ſecum mente Regem eſſe locutum intelligit, quapropter raſo vertice, ac cilicina veſte ſumpta, facile ex Regis animo conceptam de ſe ſuſpicionem amolitur. Comprehenſi à Rege inter venandum duo Monachi contemta morte concremati ſunt.

Ca-

CAPVT IIII.

REx autem vt audiuit iſta, valde contriſtatus eſt. Continuit tamen iram, & nihil cum viro locutus eſt. Ille autem cum eſſet ſapiens & ſubtilis ingenij, cognouit grauiter ſuſcepiſſe regem verba ſua, & quod in dolo tentauerat eum. Reuerſus autem ad domũ ſuam tribulabatur atque grauabatur, *hæſitans* quali modo deliniret regem, & euaderet imminens ſibi periculũ. In ſomnem itaq; totam noctẽ ducenti, in memoriam venit ei qui pedem læſum habuerat, & huic ad ſe adducto ait: Reminiſcor quia dixeris te verborum medicum, ac procuratorem eſſe malorum. Ille verò inquit: Etiam, Et ſi opus habes, oſtendã tibi artem meã. Senator autem cõtinuo narrauit ei quam ab initio apud regem amicitiam, atque fiduciam obtinebat, & paulo antè propoſitũ ſibi ab ipſo rege fraudulentum colloquiũ, & quomodo ipſe quidem bene reſponderit. rex verò grauiter ſermonem ſuſcipiens, vultus immutatione internã ſibi iram oſtenderit.

His auditis, pauper ille & infirmus, parumper deliberãs in ſemetipſo, ait: Notum tibi eſt glorioſiſsime, quoniam nunquam habet erga te rex ſuſpicionem quaſi velis eius apprehendere

regnum

regnum,ſed tentando te, dixit ea, quæ dixit: Surge ergo & tonde comam tuã, & exuendo veſtimenta ſplendida,cilicium indue,ſummoq; diluculo accede ad regem. Illo vero interrogante,quid ſibi vult habitus iſte, reſpondebis: Pro his quæ heſterno die locutus es ô rex, ecce adſum paratus ſequi te per viã, qua deſideras ambulare: nam etſi deliciæ ſunt amabiles atq; iucundæ, ſed non contingit mihi his poſt te perfrui. Virtutis enim via, qua iturus es (& ſi difficilis eſt & aſpera) tamen tecũ exiſtenti, facilis mihi erit, & plana, & amabilis. Sicut enim me ſociũ habuiſti preſentiũ bonorũ, ſic et triſtium habebis, vt & futurorum ſim particeps tecum bonorũ. Nobilis igitur vir ille infirmi verba ſuſcipiens, fecit iuxta quod ei locutus eſt. Quem videns rex & audiens, ſuper hęc vehementer obſtupuit, & erga ſe veram viri intellexit amicitiam. Falſa verò quę cõtra virum illum dicta fuerant agnoſcens, ampliori honore, & maiori fiducia penes ſe ſublimauit. Aduerſus monachos verò ira denuo nimium replebatur: illorũ eſſe iſta dogmata dicẽs, vt remoueantur homines ab huius vitę delectationibus, & quaſi incertę ſomniorum ſpei addicantur.

Iterum rex egreſſus ad venandum, vidit

vidit duos monachos per eremum gradientes, quos teneri & ad ſe adduci præcepit, furibundeque reſpiciens, & quaſi ignis ſcintillas ex oculis iaculans, ait: Non audiſtis ô erronei & ſeductores, præcones meos apertè clamantes, vt nullus veſtræ ſuperſtitionis, poſt tres dies in ciuitate aut regione meæ poteſtatis inueniretur, alioqui igne cremaretur? Monachi autem dixerunt: Ecce, inquiunt, quemadmodum iuſsiſti egredimur de tuis ciuitatibus & regionibus. Longa autem nobis via imminente pergendi ad fratres noſtros, neceſſe habuimus cibum emere, vt haberemus expenſas, ne in via fame deficeremus. Rex autem ait eis: Mortis minas metuens, eſcarum mercimonijs non adhibet ſtudium. Reſponderunt monachi: O rex bene dixiſti, quoniam mortem timentes ſolicitudinem gerūt, qualiter illam euadere poſsint. Sed qui ſunt iſti, niſi qui corruptilibus dediti rebus, his inhiantes ſunt, qui nullū bonum ſperantes illic inuenire, radicitus inhęrent pręſentibus, & ideò timēt mortem? Nos autem qui ex multo iam tempore odiuimus mundum, & quæ in mundo ſunt, & ſtrictam & arduam pergimus viam propter Chriſtū, neque mortem timemus, neq; præſentia diligimus,

gimus, ſed futura tantum deſideramus. Quoniam ergo à vobis mors illata, nobis propter teſtimoniũ ſit æternæ vitæ & melioris, amabilis nobis eſt magis quàm terribilis.

Rex ergo monachos argumentatione volens comprehendere, ait: Quid autem? nónne paulo ante dixiſtis vos diſcedere, idcirco quia ego iuſſeram? Etſi mortem non timetis, quare fugam arripuiſtis? ecce & iſta vana iactãtes, mentiti eſtis. Tunc reſponderunt monachi: Non à te minatam mortem timentes fugimus, ſed miſeremur tui: & ne abundantioris cõdemnationis tibi cauſa efficiamur, cogitauimus diſcedere, non quòd tuas vllo modo minas formidemus. Ad hæc rex iratus, iuſsit illos igne cremari: & conſummati ſunt Chriſti famuli per ignem, martyrij coronam adepti. Tunc rex edictũ poſuit, vt ſicubi quis inueniretur monachorum, ſine interrogatione necaretur. Et ita nullus relictus eſt huiuſmodi ordinis in regione illa, niſi hi qui in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terrę ſemetipſos abſconderant. Hęc quidem taliter ſe habebant.

Ioſaphat cũ à pædagogo didiciſſet, ob capeſſendæ fidei metũ, ſe cõcluſum, triſtis patri

can-

ſam triſtitiæ aperit, qui veritus ne illi dolor creſceret, iunctis equitibus ſocijs, quocunq; vellet filiũ egredi ſinit, qui cũ in varios homines incidiſſet, variè afficiebatur.

CAPVT V.

Filius autẽ regis, de quo ſermo ab initio dicere cœpit, in præparato ſibi palatio inacceſsibilis exiſtẽs, ad ętatẽ peruenit adoleſcentiæ, omni Aethiopum & Perſarum diſciplina imbutus, non minus anima, quàm corpore fulgebat, ſapiens & prudens, & omnibus bonis cluens: quæſtioneſq; naturales doctoribus ſuis proponebat, ita vt mirarentur ipſi de velocitate ingenij eius & intellectu: ſtuperet etiam rex, & gratiam vultus eius, & animæ conſtantiam. Mandata verò dedit his qui cum ipſo erant, vt nihil omnino eorum quæ in vita hac triſtitiam generant, notificarẽt ei: neque hoc quod mors præſentes delectationes amputat. Vanæ enim incumbebat ſpei, & iſtud verbum quaſi in cœlum ſagittare conabatur. Sed quã do naturam hominum mors latêre poteſt? Et quomodo puer iſte ignoraret eam, qui mentẽ omni intellectu exornatam poſsidebat? Penſabat verò in ſemetipſo, cur eum inacceſsibilem fore pater adiudicauerat, & omni volenti ad eum ingredi, non permittebat introi-

re. Nouerat enim quòd non ſine patris ſui imperio iſtud fiebat. Tamen verebatur interrogare eum, nec omnino interrogandum eſſe arbitrans, certus quod non inutilia pater ei aliquo modo prouideret: ſimul etiam attendens, quod ſi ſecundum voluntatem patris res agitur, & ſi interrogaret, nunquam ei pater veritatem aperiret. Vnde ab alijs, & non à patre iſta diſcere excogitauit. Vnum verò ex pædagogis amabiliorem cæteris in partem traxit: Quem interrogauit, cur ſe pater infra muros recluſiſſet: adiungẽs, Quod ſi hoc veraciter manifeſtum mihi feceris, mihi charus eris præ omnibus, & teſtamentum perennis amicitiæ diſponam tecum. Pędagogus itaque cum eſſet & ipſe ſapiens, & ſciret pueri intelligibilem & perfectam prudentiam, ne ſibi quandoque idem puer actor periculi fieret, cuncta ei enucleatim reſerauit: id eſt, aduerſus Chriſtianos indictam à rege perſecutionem, & præcipuè contra eremitas, & quomodo effugati ſunt & eliminati de omni circuitu in regione illa, qualiaq́; in natiuitate eius aſtrologi prænunciauerunt. Ne ergo, inquit, audiens illorum doctrinam, hanc præponas noſtræ ſectæ, non multos tecum colloqui voluit, ſed bene ſibi probatos & fideles

cir-

circa te nos conſtituit, mandata nobis tribuens, vt nihil tibi triſtium vitæ notificaremus.

Hæc vt audiuit iuuenis, nihil aliud appoſuit loqui. Tetigit quippe cor illius ſermo ſalutaris, & Paracleti gratia intellectuales eius oculos aperire cœpit, ad verum conductura Deum, prout ſequens ſermo declarabit. Frequenter verò pater eius ad videndum puerum veniebat: nam excellenti amore diligebat eum, Quadam autem die intulit ei filius: Diſcere è te cupio ô Domine rex, vnde triſtitia aſsidua & ſolicitudo continua corrodit animam meam. Pater verò vt hæc audiuit, concuſſa ſunt mox omnia viſcera eius, & ait illi: Dic mihi amantiſsime fili, quæ eſt quę te detinet triſtitia, & continuò ipſam in gaudium conuertere feſtinabo. Qui dixit illi, Quid ſibi vult quod intra muros iſtos & portas concludens, me inacceſsibilem prorſus & incontemplabilem cunctis conſtituiſti? Tunc pater ait: Nolo fili vt videas aliquid quod cor tuum poſsit amaricare, & tibi lætitiā amputare: in delicijs enim iugibus & gaudio perenni, & hilaritate viuere te per omne ſeculum deſidero. Ait autem patri filius: Bene ſcias domine, quoniam iſto modo non in gaudio & læti

tia viuo, ſed in tribulatione potius & anguſtia multa: in tantum vt & ipſe ci bus et potus inſipidus mihi appareat, & amarus. Videre enim deſidero quæ extra portas iſtas ſunt omnia. Si ergo vis ne doloribus deficiam, iube quò voluero procedere, vt animo queam delectari contemplatione rerum, quas hactenus non vidi.

Contriſtatus eſt igitur rex vt audiuit talia, perpendebatque, quod ſi denegaret ei quod petebat, amplioris ei triſtitiæ & ſolicitudinis author exiſteret. Tunc ait illi. Ego fili tuo deſiderio ſatisfaciam. Electos igitur equos adduci continuò, & obſequium regale idoneum, præcedere eum imperans: quocumque vellet pergere permiſit, diligenter præcipiens miniſtris eius, vt nihil fœdum in occurſum ei veniret, omni cautela ſatagerent: ſed omne bonum & iucundum ei demonſtrarent, chorosque plaudentes in canticis, & omni genere muſicorum eum antecedere, & varia delectationis ſpectacula facerent, vt his mens eius vacaret, & iucundaretur.

Igitur ſic frequentans proceſsiones regis filius, vidit die quadam clam miniſtris duos viros, quorum vnus quidem leproſus, cæcus verò alter e-

rat.

rat. Quos videns contriſtatus eſt animo, & dicit his qui ſecum erant, Qui ſunt iſti, et qualis horum fœdus aſpectus? Illi non valentes quod ad aſpe ctum illius venerat occultare, dixerunt, Paſsiones iſtæ ſunt humanæ, quæ ex materia corrupta, & corporis mala cõplexione hominibus ſolent accidere. Et ait adoleſcens: Omnibus hominibus nunquid iſta contingere ſolent? Dicunt illi: Non omnibus, ſed quibus ſubuertitur ſanitas ex humorum malorum abundantia. Rurſus ergo interrogauit puer, Si nõ omnibus hominibus iſtud contingere ſolet, ſed quibuſdam: ergo noti ſunt quos apprehenſura ſunt iſta mala, an indefinitè & improuisè ſuperueniũt? Reſpondent illi, Et quis hominum futura præuidere poteſt, & diligenter cognoſcere? Hoc enim humanam naturam ſupergreditur, ſolisq; hęreditarium eſt dijs immortalibus. Et ceſſauit quidem regis filius interrogare. Super hoc verò quod viderat, doluit corde, & immutata eſt ſpecies vultus eius propter inconſuetudinem rei.

Poſt multos vero dies, rurſus progrediens reperit ſenẽ inueteratum dierum multorũ, rugoſam habentem faciẽ, diſſolutis brachijs, & dorſum inclinatum, & toto capite cano, carentẽ dentibus,

& balbutiendo loquentē. Stupefactus igitur aſſumit eum, & propius adducens interrogat, diſcere cupiens viſionis miraculum. Præſentes autem dixerūt: Iſte iam plurimorum exiſtit annorum, paulatimque imminuta ſibi virtute, & ægrotantibus membris ad hanc, quam cernis peruenit miſeriam. Quis eſt, inquit, huius finis? Illi autem dixerunt: Nihil aliud quàm mors iſtum ſuſcipiet. Sed & omnibus, inquit, hominibus iſtud imminet, an aliquibus tantum? Reſponderunt ei: Niſi mors præueniens hinc transferat hominem, impoſſibile eſt annis ſuccedentibus, nō ad iſtius venire ſtatus experientiam. Et ait puer: Igitur in quot annis ſuperuenit alicui? & ſi penitus mors imminet, & non eſt ars hanc euadendi, quin ad hāc perueniatur miſeriam. Dicunt ei: In octoginta quidem vel centum annis ad hāc ſenectutē deueniunt homines, deinde moriuntur: nec aliter fieri poteſt. Debitum nanque naturale mors eſt, ab initio inditum hominibus, & ineuitabilis huius aduentus eſt.

Hec omnia vt vidit & cogitauit ſapiens ille & prudens iuuenis, ingemiſcēs de profundo cordis, ait: Amara eſt vita iſta, & omni dolore et amaritudine plena. Si hæc ita ſe habent, quomodo

ſecurus

ſecurus poterit eſſe aliquis, mortem incertam præſtolando, cuius aduentus non tantum ineuitabilis, ſed & incertus eſt, ſicut dicitis? Et abijt, iſta intra ſe ſeruans, & inceſſanter cogitãs, & frequenter habens de morte memoriam: & ob hæc in doloribus & defectionibus iuuenis continuam habebat triſtitiam. Dicebat enim in ſemetipſo, Ergóne aliquando me mors apprehendet? Et quis erit memoriam mei faciens poſt mortem, tempore obliuioni omnia tradente? & ſi moriens in nihilum diſſoluar: aut eſt aliqua vita alia, & alius mundus? Hæc, & his ſimilia inceſſanter cogitans, pallidus tabeſcebat. In præſentia autem patris quando contigebat venire illum ad eum, fingebat hilaritatem & lætitiam, nolens ad noticiam patris ſui meditata peruenire. Deſiderabat autem incomprehenſibili quodam deſiderio, & æſtuabat inuenire aliquem, qui poſſet ſibi certificare cor, & ſermonem bonum auribus eius infundere.

Sæpe verò memoratum pædagogum rurſus interrogabat, ſi alicubi cognoſceret virum aliquem, qui poſſet ei auxiliari ad id quod deſiderabat, & mentem illius confirmare malè in cogitationibus fatigatam, & nõ va-

lentem repellere harum ſolicitudinem. Ille autem prædictorũ denuò recordatus, dicebat: Dixi tibi iam pridem, quomodo pater tuus ſapientes & eremitas illos ſemper de talibus philoſophantes, alios quidem interemit, alios verò cum ira perſecutus eſt: & nõ cognoſco modo quenquam in hac regione reman ſiſſe. Multa igitur ſuper his triſtitia ille repletus, & in animo malè ſauciatus, aſsimilabatur viro, qui magnũ theſaurum perdiderat, & ad eius inquiſitionem totam mentẽ ſuã conuerterat. Hinc in agone aſsiduo & ſolicitudine viuebat, & omnia delectabilia & iucunda mundi erant in oculis eius quaſi inquinamenta quædam & abominatio. Sic ergo habente ſe iuuene, & deſiderante ſecundum animam bonũ inuenire, vidit eum, qui cũcta cernit oculis, nec deſpexit, qui vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ſed ſolitam ſuam benignitatem in hoc oſtendens, notam fecit ei viam in quâ oportebat eum ambulare, modo tali.

Barlaam religioſiſsimus monachus pio commento excogitato ad Ioſaphatum ingreditur, atque parabolam Chriſti de ſemine proponens, multa de extremo iudicio, atque ſeculi huius pompis abdi-

can-

tandis diſputat.

CAPVT VI,

IN illo tempore fuit quidam monachus, diuina prudentia ſapiēs, vita & ſermone ornatus, qui ad ſummam perfectionem totius monaſticæ profeſsionis peruenerat. Vnde verò venerit, & ex quo genere fuerit, non habeo modò dicere. In deſerto quodam terrę Sennaar ſibi cellam fecerat, & ſacerdotij decorabatur gratia. Barlaam huic ſeni nomen erat. Hic ergo reuelatione diuinitus ſibi facta, cognouit ea quæ circa filium regis agebantur. Qui egreſſus de eremo ad ſeculum deſcendit, & mutato habitu ſuo, veſtimentisque ſecularibus indutus, aſcendit nauem ad partes Indiæ profecturus: & negociatorem ſe eſſe ſimulans, applicuit ad ciuitatem in qua regis filius palatium habebat. Ibique multis diebus cōmoratus, diligenter inquirebat de eo, & de his qui miniſtrabant ei. Vt autem didicit ſupradictum pædagogum inter reliquos plus eifamiliarem eſſe, accedens ad eum ſeorſum, ait illi.

Cognoſcere te volo dñe mi, quoniā negociator ego ſum, & de remota valde regione huc veni. Et eſt mihi lapis precioſus, cui ſimilis aliqñ inueniri nō *Lapis precioſus.*

 poſsit,

poſsit,et nulli vſq; modo hunc manife ſtaui. Tibi verò iam manifeſtum facio, ſapientem te atque prudentem virum conſiderans, rogans, vt introducas me ad filium regis, & tradam illum ei. Omnibus enim bonis incomparabiliter excellit. Valet quippe cæcis corde, lumen conferre ſapientiæ, aures ſurdorũ aperire, & mutis vocem reddere, & ſanitatem infirmitatibus exhibere, ſtultis ſapientiam dare, dæmones effugare: & totum quod bonum eſt & amabile, largiter ſe poſsidenti tribuere. Dicit ad eum pædagogus: Video te hominem ſtabilis & prouectæ prudentiæ, verba autem tua in immenſum te gloriari inſinuant. Lapides enim eximios & precioſas margaritas minimè tibi poſſum enarrare quot viderim. Habentes verò tales, quales dixiſti virtutes neque vidi neque audiui: tamen oſtende mihi ipſum, & ſi eſt ſecundum verbum tuum, mox inferam hunc ad regis filium, honores quam maximos & munera ſuſcipies ab ipſo. Priuſquã tamen certificer veraci oculorum viſione, impoſsibile eſt mihi domino meo regi, de te manifeſta hæc eximia nunciare. Barlaam verò ait: Bene dixiſti, neque vidiſſe aliquando, neque audiſſe te tales virtutes & operationes: nam

ſermo

ſermo qui à me promptus eſt, nõ de re qualicunque eſt,ſed de mirabili quadam & magnifica. Quoniam verò petiſti videre iſtum,audi verba mea.

Lapis iſte precioſus cum præfatis operationibus & virtutibus, adhuc habet & iſtam virtutem. Non valet contemplari eum fortuitò, qui ſanam non habet oculorum viſionem & integram, caſtum etiam corpus, & nullo modo inquinatum. Si enim aliquis iſta duo non bene habet, temerariè inſpiciet precioſum lapidem iſtum, & iſtam iam quam habet viſibilẽ virtutem & mentem perdet. Ego verò cum expers non ſim artis medicinalis, conſidero oculos tuos ſanos nõ eſſe, & vereor, ne & huius quam habes viſionis priuationem incurras, & ego tibi tanti mali autor exiſtam,Filium autem regis audiui vitam quidem ducere pudicam, oculos verò pulcherrimos & ſanos,& clarè videntes habere. Quapropter illi oſtendere theſaurum iſtum cõfiſus ſum.Tu ergo non negligenter de hoc diſponas, neque re tali dominum tuum priues.Ille autem dixit ad eum, Si ſic iſta ſe habent, noli mihi lapidẽ oſtendere,in peccatis etenim multis vita mea ſorduit, neq; viſionem oculorũ incolumen ſicut dixiſti habeo: ſed ego

tuis adhibendo fidem ſermonibus, notificare iſta domino meo regi non pigritabor. Dixit iſta, & ingreſſus, diligẽter omnia filio regis annunciauit. Ille autem vt audiuit ſui verba pædagogi, gaudio quodam & lætitia ſpirituali ſenſit cor ſuum aſpiratum, & anima illius diuinitus illuſtrata eſt. Iuſsit itaque ſtatim introduci virum.

Igitur poſtquam introiuit Barlaam, ſalutauit eum. Tunc præcepit eũ ſedere, & pædagogũ abſcedere. Quo diſcedente, dixit Ioſaphat ſeni: Oſtẽde mihi lapidem precioſum, de quo quædã magnifica & mirabilia te dicere meus narrauit pædagogus. Tunc Barlaam ſic fari cœpit ad illum: Iniuſtũ eſt ô rex, falsò ac temerariè aliquãdo me dicere tuæ excellenti gloriæ. Cuncta etenim quæ tibi de me manifeſtata ſunt, vera exiſtũt & indubitabilia. Sed niſi prius experimentũ tuæ capiã prudentię, incongruum eſt myſterium hoc tibi manifeſtare. Ait enim Dominus meus: Exijt qui ſeminat ſeminare: Et dũ ſeminat, alia quidem ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres, & comederunt illa. Alia verò ceciderunt in petroſa, vbi non erat terra multa, & confeſtim exorta ſunt, eo quod non haberẽt profundam terram. Sole verò exorto æſtuaue-

Marci 13.

runt:

runt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia verò ceciderunt inter ſpinas, & ſurgentes ſpinę ſuffocauerũt ea. Alia ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum centuplum. Si ergo terram inuenero in corde tuo fructiferam & bonam, non tardabo diuinum ibi ſeminare ſemen, & magnum myſterium tibi reuelare. Si verò petroſa hæc & ſpinoſa eſt, & via conculcabilis omni volenti, melius eſt nequaquam hoc ſalutare in illa ſpargere ſemen, & in direptionem ipſum ponere volucribus & beſtijs: ante quas omnino non proijcere margaritas, mandatum accepi. Sed confido de te meliora, & viciniora ſaluti: quia & lapidem videbis precioſum, & radio luminis eius lux & ipſe mereberis effici, & fructum afferes centeſimum. Propter te enim laborẽ ſuſtinui, & longam peragraui viam, vt oſtendã tibi quæ nunquam vidiſti, & doceam te quæ non audiſti.

Dixit autem ad eum Ioſaphat. Ego quidem venerande ſenex, deſiderio quodam & amore incomprehenſibili, quæro ſermonem audire nouum aliquem & bonum, quia ignis intrinſecus in corde meo exardeſcit, fortiter vrens me, & incitans ad diſcendas quaſdam neceſſarias quæſtiones.

Non

Non enim hactenus hominem reperi, qui de his me poterit instruere. Sed ſi inuenero ſapientem aliquem, & audiero ab eo verbum ſalutis, nequaquã volucribus (prout æſtimo) ſiue beſtijs illud dabo, neque petroſa aut ſpinoſa terra ſicut dixiſti, apparebo, ſed gratanter accipiam, & ſapienter ſeruabo. Tu verò ſi quid tale noſti, non abſcondas à me, ſed indica mihi. Nam quoniam audiui te de terra longinqua veniſſe, ſenſit anima mea, & bonæ ſpei factus ſum: quia per te quod iam diu deſideraui, aſſequar: idcirco mox ingredi feci te ad me, libenterque ſuſcepi quaſi aliquem de familiaribus & coætaneis meis, ſi tamen non de mea ſpe fallar. Tunc Barlaam ait: Hoc bene feciſti, dignumque regali fuit magnificentia, quoniam non apparenti intendiſti paruitati, ſed reconditæ factus ſpei es.

Nam quidam rex fuit magnus et glorioſus. Et factum eſt, procedente illo in curru deaurato cũ regali obſequio, obuiaſſe illi duos viros attritis & ſordidis indutos veſtibus, attenuatos macie, & pallidas facies habentes: Rex autẽ ilico cognouit eos, maceratione corporis & exercitij ſudoribus carnem conſumptam habentes. Vt ergo vidit il-

los,

los, deſiliens confeſtim de curru, & in terram procidens, adorauit, & ſurgens amplexatus eſt eos, & affectuosè oſculatus. Magnates verò illius ac proceres de hoc valde indignati ſunt, arbitrantes eum feciſſe indigna regali gloriæ non tamen auſi illum in facie reprehendere, germano fratri eius ſuggeſſerunt, vt ei loqueretur, ne tantæ excellentiæ diadematis tantam inferret contumeliam. Qui cũ fratri iſta diceret, & regis inutilem vt ſibi videbatur humiliationem, reprehenderet, ei rex reſponſum dedit, quod tamen ille non intellexit.

Conſuetudo autẽ erat illi regi, quando ſententiam mortis contra aliquem dictabat, præconem ante ianuam illius cum tuba huic officio deputata mittere, cuius voce cognoſcebant omnes, mortis reum illum exiſtere. Veſpere igitur veniente, miſit rex buccinam mortis tubicinare ante ianuam domus fratris ſui. Vt ergo audiuit ille tubam mortis, de ſua ſalute deſperauit, & tota nocte, ſua diſpoſuit. Summo verò diluculo, nigris ac lugubribus indutus veſtibus, cum vxore & filijs pergit ad fores palatij, flens & lugens. Quem rex ad ſe ingredi fecit, & videns eum ita lugentem, ait illi: O ſtulte & inſipiens, ſi tu ſic timuiſti præconem germani

fratris tui, aduerſus quē teipſum nihil deliquiſſe cognoſcis: quomódo mihi reprehenſionem intuliſti, quia in humilitate ſalutaui, & oſculatus ſum præcones Dei mei, ſonorabilius tuba mortem mihi ſignificantes, & terribilem domini occurſum: cui multa & magna meipſum peccaſſe conſcius ſum? Ecce deniq; tuam arguens inſipientiam, iſto vſus ſum modo. Nunc verò et illorum qui te ad meam ſubmiſerunt reprehenſionem, ſtultitiam omnibus modis apertè arguere curabo.

Et ita inſtruens fratrem ſuum, domum remiſit: præcepitq́ue autem fieri de lignis arcellas quatuor, & duas quidem vndiq́ue auro coopertas: oſſaq́ue mortuorum putentia mittens in eis, aureis obfirmauit ſeris. Alias verò duas pice & bitumine liniens, repleuit lapidibus precioſis, & inæſtimabilibus margaritis, & omnium vnguentorum odoribus, funiculisq́ue cilicinis aſtrinxit. Deinde accerſiri fecit reprehenſores ſuos: magnates videlicet illos ac proceres, & poſuit ante eos ipſas arcellas, vt æſtimarent quanto quidem iſtæ, quanto verò illæ precio ſint dignæ. Illi itaq; duas quidem deauratas, quia precii maximi ſunt, iudicauerunt: Expedit enim (inquiunt) in ipſis

ſis diademata regalia reponi. Quę verò illita pice & bitumine fuerāt, vili quodā & exili precio dignas dixerunt. Rex aūt dixit ad illos. Sciebam & ego talia vos eſſe dicturos. Exterioribus enim oculis exteriora cernitis. Et tamē nō ita oportet facere, ſed internis oculis intrinſec⁹ recōdita expedit videre, ſiue honorē ſeu contumeliā: & mox præcepit, vt aperirētur arcellę deauratę. Reſeratis igitur illis, dirus quidam fœtor exhalauit, & fœdiſsimus viſus eſt aſpectus.

Ait ergo rex: Iſte typus eſt eorum qui ſplendidis quidem induuntur veſtimentis, multa verò gloria & potentia ſunt clari: ſed intrinſecus mortuis ac fœtentibus malignisque operibus referti ſunt. Deinde piceatas bituminataſque præcipiens diſſolui & aperiri, cunctos qui aderant lætificauit, eorum quæ intus repoſita erant ſplendore & odore. Tunc ait ad illos: Scitis quibus ſimilia ſunt iſta? humilibus illis qui vilibus operti erant veſtimentis, quorum vos exteriorem attendentes habitum, cōtumeliam putaſtis, me autem proſtraui ante faciem illorum in terram ad orationem: ego verò intellectualibus oculis reuerentiam illorum & decorem conſiderans animarum, glorificatus ſum quidem horū tactu,

ctu. omniq́ue corona et vniuerſa regali purpura precioſiores iſtos exiſtimaui. Illos igitur ita confundens, docuit ne errarent in his quæ foris apparent, ſed interna attenderent. Secundum illum itaq; pium ac ſapientem regem tu quoque feciſti, bona ſpe ſuſcipiens me, quæ te non decipiet, ſicut ego æſtimo.

Narrat Barlaam primi hominis creationem & caſum: hinc diluuij ſub Noe mentionem faciens, Abrahæ, Moyſiſq́ue obiter tangit hiſtorias. Deinde filium Dei cœlo demiſſum, mortem acerbiſſimam perpeſſum oſtendit, quem inſuper è ſepulchro ſurrexiſſe rediuiuum, atque poſtremo in cælos receptum docet.

CAPVT VII.

DIxit autem ad eum Ioſaphat: Iſta quidē omnia bene et cōuenienter dixiſti: ſed illud volo diſcere, Quis eſt dominus tuus, quem in initio ſermonis de ſemine illo dixiſſe aſſeruiſti? Rurſus igitur repetēs ſermonem Barlaā dixit: Si meum vis dominū agnoſcere, dominus eſt Ieſus Chriſtus, vnigenitus filius Dei, beatus & ſolus potens, rex regum & dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilem, cum patre & ſpiritu ſancto glorificandus, Non enim ſum

ego

ego de illis, qui multos iſtos & inordinatos deos inuocant, & inanimata hęc & ſurda colũt idola: ſed vnum Deum cognoſco & confiteor, in tribus perſonis glorificandum (patrem inquam, & filium, & ſpiritum ſanctum) in vna verò natura & ſubſtantia, in vna gloria et regno indiuiſo. Ita ergo in tribus perſonis vnus Deus ſine initio eſt, & ſine fine ęternus, ſempiternus, increatus, inconuertibilis, incorporeus, inuiſibilis, incircunſcriptus, inæſtimabilis, bonus & iuſtus ſolus, qui cuncta de nihilo conſtituit viſibilia & inuiſibilia.

Primùm quidẽ inuiſibiles virtutes, et cæleſtes innumerabiles quaſdam multitudines, & incorporales adminiſtratorios ſpiritus magnitudinis Dei: deinde inuiſibilem mundum iſtum, cœlum videlicet & terram, & mare, quæ & luce illuminans exornauit. Cœlum quidem Sole et Luna, et ſtellis, terrã verò varijs virgultis & diuerſis animalibus, mare iterum multiplici natatilium genere. Hęc omnia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Deinde formauit hominem manibus ſuis: puluerem quidem ſumens de terra ad formationem corporis, animam verò rationalem & intellectualem per propriam inſufflationem ei tribuens, Quę ſecundum

dum imaginem quidem, & ſimilitudinem Dei creata, fuiſſe ſcribitur: ſecundũ imaginem quidem propter intellectum & liberum arbitrium: ſecundum ſimilitudinem verò propter virtutis (prout poſsibile eſt) ſimilitudinem. hunc hominem libero arbitrio & immortalitate beatificans, regem ſuper terram conſtituit. Fecit autem ex ipſo fœminam & adiutricem ſibi ſimilem.

Plantauit etiam paradiſum voluptatis in oriente, lætitia & omni delectatione plenum, & poſuit in illo hominem quem formauerat, omniumque quidem ſibi diuinarum arborum præcepit liberè participari. De vna verò ſola, ne penitus guſtarent, mandatum poſuit, quæ lignum dinoſcentiæ boni & mali vocatur, ſic dicens: Quocunque die guſtaueritis ex ea, morte moriemini. Vnus verò de prædictis angelicis virtutibus, vnius exercitus prælatus, nequaquam in ſeipſo à creatore malitiæ naturaliter habens veſtigium, ſed in bono factus, libera arbitrij voluntate conuerſus eſt de bono ad malum, et elatus ſuperbia rebellare voluit contra dominum & Deum ſuum, propter quod deiectus eſt de ordine ſuo & dignitate, & pro beata gloria illa & angelica nũcupatione diabolus vocatur, & ſatanas.

Gen. 2.

nominatur. Proiecit enim eum Deus ceu indignum ſuperna gloria. Euulſa eſt autem cum eo & deiecta multitudo magna ordinis angelorum, qui ſub ipſo erant, Qui mali effecti propria voluntate, & bono derelicto, apoſtaſiam imitantes principis ſui, dæmones nominati ſunt, velut erronei & deceptores.

Abnegans ergo omnino bonum diabolus, ac malignam arripiens naturam, inuidiam ſuſcepit aduerſus hominem, cernens ſeipſum quidem de tali gloria expulſum, illum verò ad huiuſmodi honorem ſublimatum, callidè inquirebat quomodo priuaret eum beata illa conuerſatione. Serpentem igitur inſtrumentum ſuæ deceptionis arripiens, per ipſum locutus eſt mulieri & ſuadens ei comedere de prohibito ligno iſto ſpe deificationis, per ipſam decepit & Adam. Sic protoplaſto ſeducto, & comedente de ligno inobedientiæ, exterminatus eſt de paradiſo deliciarum à creatore, & probata illa vita & felici conuerſatione, in miſeriã hanc & ærumnoſam (heu mihi) vitam corruit, & morte demũ condemnatus eſt. Hinc virtutem diabolus accipiens, & victoria elatus, & multiplicatis ſuper terram hominibus, omnem malitiæ viam eis indidit. Amputare vero multam

tam peccati enormitatem volēs omnipotens Deus, diluuium induxit ſuper terram, diſperdiditq; omnem animam
Gene.7. viuam. Vnum verò ſolum inueniens iuſtum in generatione illa: hunc cum vxore & filijs in arca quadam ſaluans, ſolum ſuper terram conſtituit. Cum autem cœpiſſet iterum in multitudine genus hominum dilatari & creſcere, obliti ſunt Deum: & in deteriorem proficientes impietatē, diuerſiſque irretiti ſceleribus, ac execrabilibus corrupti impietatibus, in omnem prorſus errorem diſperſi ſunt.

Alij nanque cuncta ſponte ſua fieri putauerunt, & ſine prouidentia regi, quaſi nullo exiſtente domino. Alij fortunam putauerunt, fato totum concedentes. Alij plures deos malos & vicioſos coluerunt, vt haberent eos ſuorum viciorum & malarum actionum autores: Quorum & formas figurantes, erexerunt ſtatuas, ſurdaque & inſenſata idola: & concludentes ea in templis, adorauerunt, ſeruientes creaturæ potius, quàm creatori. Alij verò ſoli & lunæ, & ſtellis, quæ poſuit Deus ad lucem præbendam terreno huic mũdo, cum ſint inanimata & inſenſibilia, prouidentia creatoris illuminata & gubernata. Alij autem igni & aquis,

&

& cæteris elementis terræ, & inanimatis, & inſenſibilibus ſeruierunt, & non erubuerunt animati & rationales talia colere. Alij beſtijs & reptilibus, & pecudibus quadrupedibus cultum exhibebant, irrationabiliores his, quę colebant ſemetipſos oſtendentes. Alij verò quorundam hominum turpium & infirmorum imagines fecerunt, & iſtos deos inuocauerunt, alios quidem eorum maſculos, quoſdam autem fœminas nominantes, quos idem ipſi expoſuerunt adulteros fuiſſe & homicidas, iracundos & inuidos, & furibundos, paricidas & fratricidas, fures & raptores, & claudos, & debiles, veneficos, & furioſos. Et horum quoſdam quidem propria morte defunctos, quoſdam verò fulmine ictos, & in animalia tranſformatos, ad execrabiles & turpes vſus exercendos. Vnde aſſumentes homines exempla, & occaſiones à dijs ſuis, ſine timore contaminabantur omni immundicia. Et tetra tegebat obſcuritas genus noſtrum in illis temporibus, & non erat qui intelligeret, non erat qui requireret Deum.

Abraham autem quidam in illa generatione ſolus inuentus eſt, qui ſenſus animę habebat incolumes, qui contemplatione creaturarum cognouit creatorem.

torem: Conſiderando enim cœlum & terram & mare, ſolem & lunam; & cætera, admiratus eſt congruentiſsimum ornatum iſtum. Videns autem mundum, & quæ in illo ſunt omnia, nō per ſemetipſa facta fuiſſe & conſeruari, exiſtimauit, neque elementis terræ, neque inanimatis idolis cauſam talis ornatus attribuit, ſed verum deum per iſta cognouit, & ipſum eſſe autorem & creatorem omnium, intellexit. Suſcipiens autem hunc gratanti & recto iudicio, Deus manifeſtauit ei ſemetipſum, non ſecundum ſubſtantiam ſuam (Deum enim videre, humanæ naturæ impoſsibile eſt) ſed diſpenſatiuis quibuſdam theophanijs, ſicut nouit ipſe, & perfectiorem ſcientiam ponens in anima eis, glorificauit, & familiarem ſibi famulum effecit. Qui & per ſucceſsiones his, qui ex eo nati fuerunt, tranſmittens fidei pietatem, eos verum cognoſcere Deum edocuit.

Gene. 15. Propter quod & in multitudinē innumerabilem creſcere ſemen illius domino bene complacuit, & populum peculiarem ſibi nominauit, & de ſeruitute eos AEgyptiaca, & poteſtate Pharaonis cuiuſdam tyranni, ſignis & prodigijs terribilibus & præcipuis eduxit *Exod.* 13.15. per Moſen & Aaron viros ſanctos, & gratia

gratia prophetiæ glorificatos, per quos, AEgyptios afflixit dignè ſatis ob illorum maliciam, & Iſraëlitas (ſic enim populus ille qui de Abraham ſtirpe deſcenderat, vocabatur) per mare rubrum, quaſi per aridam, diuiſis aquis traduxit, & quaſi muris à dextris & à ſiniſtris exiſtentibus: Pharaonem verò & AEgyptios poſt veſtigia ipſorum ingreſſos, reuerſæ aquæ ſubitò perdiderunt. Deinde miraculis eximiis, & diuinis manifeſtationibus per annos quadraginta deducens populum in deſerto, & pane cœleſti alens, legem dedit in tabulis lapideis diuinitus ſcriptam, quam dedit in manu Moſi ſuper montem, typum & figuram futurorum habentem, ab idolis quidem, & omnibus malis actibus homines prohibentem: Solum nanque docet verum colere Deum, & bonis operibus inhærere. Talia igitur prodigia operando, introduxit eos in bonam quandam terram, quam olim patriarchæ illi Abraham promiſerat ſe daturum, & ſemini eius. Longum eſt autem enarrare quanta eis oſtendit magnalia, & miracula glorioſa, & præcipua, quorum non eſt numerus. Per quæ omnia id ſtudij fuit, vt ab omni execrabili idolorum ſeruitute & actione, genus hominum

Exod.16.

Lex vetus ſolum docet verū colere Deum & bonis operibus inhærere.

abſtraheret, & ad antiquum ſtatum reduceret. Sed adhuc ſpontanea voluntate regnauit mors in hominibus, tyrannide diaboli, condemnationi inferni omnia tranſmittens.

In talem ergo ærumnam & miſeriam cum deueniſſemus, non deſpexit nos Deus, qui de nihilo nos creauerat, neque dimiſit in finem perire opus manuum ſuarum, ſed per voluntatem Dei patris, vnigenitus filius verbum dei, qui eſt in ſinu patris, conſubſtantialis & coæternus ei & ſpirituiſancto, qui erat in principio aput Deum, & Deus erat, condeſcendit ſeruis ſuis condeſcenſione ineffabili, & incomprehenſibili: & Deus exiſtens perfectus, factus eſt homo perfectus de ſpiritu ſancto, & Maria ſemper virgine dei genitrice, ſine ſemine viri ac coniunctione, intra virginis intacta viſcera conceptus, ſed de ſpiritu ſancto: ſicut & ante conceptionem vnus archangelorum miſſus eſt, annuntians virgini extraneam conceptionem illam, & ineffabilem partum. Sine ſemine enim conceptus eſt filius Dei de ſpiritu ſancto, & compingens ſibimetipſi in vtero virginis animatam carnem, anima rationali & intellectuali proceſsit in vna perſona. Sed in duabus naturis perfectus Deus, & perfectus

homo

homo, incorruptam virginitatem genetricis etiam cuſtodiens poſt partum. & in omnibus ſimilis nobis paſsibilis factus abſque peccato, infirmitates noſtras ſuſcepit, & languores portauit. Nam quia per peccatū mors introiuit in mundum, oportebat eum qui redem ptururus erat mundum ſine peccato, eſſe, & non morti per peccatum addictum.

Per triginta verò annos cum hominibus eſt conuerſatus, & baptizatus eſt in Iordane flumine à Ioanne, viro ſancto, & omnibus prophetis excellēti ore. Baptizato verò ipſo, vox delata eſt cœlitus à Deo patre dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cō placui. Spiritus etiam ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit ſuper ipſum. Et ex tunc cœpit ſigna facere magna, & mira bilia, mortuos videlicet ſuſcitando, cæcos illuminando, dæmones fugando, ſurdos & mutos, & debiles curando, le proſos mundando, & noſtram inueteratam naturam, interius & exterius renouando, operibusq; erudiendo & docendo virtutis viam, à corruptione quidem renouando, ad æternā verò vitam perducendo. Vnde & diſcipulos elegit duodecim, quos & Apoſtolos vocauit, & omnibus prædicare cæleſtē conuerſationem præcepit, quam venerat ſuper

Luc.3. *Matt.3.* *Matt.19*

terram oſtendere, & non humiles & terrenos ſua diſpenſatione cœleſtes facere.

Inuidia verò mirabilis illius & Deo dignę conuerſationis, & innumerabiliũ miraculorũ, pontifices & principes Iudæorum, inter quos cõuerſabatur, contra illum inſanientes, quibus prædicta mirifica ſigna faciebat, immemores omnium, morte eum condemnauerunt: Vnum diſcipulorum eius ad traditionẽ rapientes, tenuerũt dominum, & gentibus tradiderunt, vitam videlicet omnium: qui hęc omnia ſpõtanea voluntate ſuſcepit. Venit enim propter nos omnia pati, vt nos à paſsionibus liberaret. Multa verò in ipſum exercentes, ad vltimũ in cruce ſuſpenderunt. Et omnia ſuſtinuit natura carnis, quam ex nobis accepit. Duarũ nanq; naturarũ erat, diuinæ ſcilicet & humanæ. Humana quidẽ natura paſſa eſt, diuina verò impaſsibilis extitit & immortalis. Crucifixus eſt igitur carne dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſine peccato. Peccatum enim non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore

Eſa.35. eius. Propter peccatum enim, ſicut præ

Rom.5. dixi, mors introiuit in mundum. Nam propter nos carne mortuus eſt, vt nos à mortis liberaret tyrannide. Deſcendit in infernum, & hunc conterens, à ſę

culo

culo concluſas illic iuſtorum animas liberauit. Poſitus in ſepulchro, tertia die reſurrexit ſuperando mortem, & nobis victoriam donauit aduerſus eam. Et incorruptibili carne reſurgens incorruptionis largitor apparauit diſcipulis, pacem donans illis, & per ipſos omni humano generi.

Poſt dies autem quadraginta cœlos aſcendit, & ibi ſedet in dextera patris: vnde venturus eſt iterum iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Poſt glorioſam verò ſuã in cœlos aſcenſionem, miſit paracletum ſpiritum ſuper ſanctos diſcipulos ſuos, in ſpecie ignis, & cœperunt varijs linguis loqui, prout ſpiritus ſanctus dabat eis pronunciare. *Act. 2.* Exinde gratia illius diſperſi ſunt in omnes gentes, & prædicauerunt catholicam fidem, baptizantes eos in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti, & docentes ſeruare omnia mandata Saluatoris. Illuminauerunt ergo gentes qui prius errabant, & ſuperſtitioſum errorem idolorum deſtruxerunt. Non ferens igitur hoſtis antiquus ſuam deiectionẽ, bella etiam nunc aduerſus nos Chriſti fideles excitat, ſuadens ſtultos & inſipientes adhuc ſequi idololatriam: ſed virtus eius infirmata eſt,

& frameæ illius defecerunt in finem Chriſti virtute. Ecce tibi dominum meum & Deum & ſaluatorem, per modica verba notificaui. Perfectius verò cognoſces, ſi gratiam ipſius ſuſceperis in anima tua, & ſeruus illius fueris factus.

Ioſaphat fidei lumine & gaudio perfuſus, Barlaamum complectitur, de Baptiſmi virtute, reſurrectione, extremo iudicio, ac bonis operibus multa præclara adferuntur in medium.

CAPVT VIII.

VT ergo audiuit verba iſta regis filius, lumen illuſtrauit eius animam: Qui ſurgens de throno ſuo, prę gaudio cõplexatus eſt Barlaam, & ait ei: Fortè iſte eſt (ſicut ego exiſtimo) reuerendiſsime hominum, lapis iſte pretioſiſsimus, quẽ in myſterio conuenienter ſatis contines: non omni cernere volẽti oſtendes, ſed quibus ſani ſunt hominũ ſenſus. Ecce enim vt hæc verba ſuſcepi auditu, lumen dulciſsimum ingreſſum eſt cor meum, & graue illud triſtitiæ velamen multo iam tempore ſuper poſitum menti meæ, ſtatim ſublatum eſt. Si ergo iſta bene perpẽdi, nuncia mihi: ſi autem & melius aliquid illis quæ dixiſti cognoſcis, ne differas confeſtim manifeſtare mihi.

Rurſus ergo Balaam reſpondit: Etiam domine mihi rex, hoc eſt magnum myſterium quod abſconditum eſt à ſeculis & à generationibus, nouiſsimis verò temporibus manifeſtatum eſt generi humano. Cuius manifeſtationem prænunciauerunt multi prophetæ & iuſti, ſpiritusſancti gratia illuminati multipharię, multisq́; modis. Et omnes interiorem ſalutẽ à longè ſpeculantes, deſiderabant hanc præſentem videre, & non viderunt, ſed nouiſsima generatio iſta meruit ſuſcipere ſaluatorem. Igitur qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Ioſaphat verò ait: Omnia quæ dixiſti indubitanter credo, & quem annuncias glorificabo Deum: tamen enucleatius iſta mihi expone, & quicquid oporteat facere, diligentius edoce: nec non etiam Baptiſmum quid ſit, quod fideli ſuſcipiendum dixiſti, conſequenter inſinua. *Marci.16.*

Barlaam verò reſpondit ei: Sanctæ huius & immaculatæ Chriſtianorum fidei radix, & ſtabile fundamentum, diuini Baptiſmatis eſt gratia, cunctorũ à natiuitate peccatorum emundationem faciens, & perfectiſsimam ablutionem ſubintrantium malitiæ pollutionum.

Sic enim Saluator mãdauit, vt per aquã regeneremur & ſpiritum, & in antiquam reuertamur dignitatem, per orationem videlicet, & ipſius Saluatoris inuocationẽ, atq; ſpiritu ſancto ſuperueniente, Baptizamur itaq; iuxta ſermonem domini, in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti. Sicq́ue ſpiritus ſancti gratia habitat in anima baptizati, eam illuminando, & ad Dei imaginem & ſimilitudinem renouãdo. Tunc omnia vetera nequitiæ opera abijcientes, compaginamur deo, & initium purioris cõuerſationis facimus: vt & cohæredes ſimus ad incorruptionem regeneratorum, & æternam ſalutem capiamus. Sine baptiſmate verò nullus bonã ſpem valet adipiſci, ſi cunctis etiam bonis polleat operibus. Sic enim ad ſaluationem generis noſtri, homo factum dei verbũ dixit: Amen amẽ dico vobis, niſi renati fueritis in aqua & ſpiritu ſancto, non intrabitis in regnum cœlorum. Ideo ante omnia rogo te, quatenus in anima tua fide ſuſcepta, accedas ſine mora ad baptiſmum toto mẽtis deſiderio, & nullo modo hoc agere differas. Periculoſa enim eſt dilatio, eò quòd incertus eſt mortis terminus.

Baptiſmi effectus.

Ioſaphat autem dixit ad eum: Et quę eſt bona ſpes illa, quam dixiſti ſine ba-

ptiſmate

priſmate non adipiſcendam? Quidue eſt illud, quod regnum cœlorum appellas? Vnde etiam incarnati Dei verba tu audiſti? Quis eſt autem incertus terminus, de quo ſolicitudo multa cordi meo infixa, in triſtitia & doloribus cõſumit carnes meas, etiamque ipſorum oſsium fortitudinem comedit? Vtrum morientes in nihilum diſſoluimur homines? aut ſi eſt alia quęlibet vita, poſtquam hinc exitur? Hęc, & his ſimilia diſcere vehementer concupiſco.

Barlaam verò tales his reſponſiones dedit: Bona quidem ſpes quam dixi, regni cœlorum eſt: hæc tamen linguæ humanæ extat prorſus ineffabilis. Ait enim ſcriptura: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Quando verò digni effecti fuerimus deponere hanc carnis corruptibilitatem & craſsitudinem, ac beatitudinem illam aſſequi, tunc ipſe qui hanc ſpem nobis tribuit, docebit, et notificabit bonorum illorum gloriam, quæ ſenſum ſuperat omnem, & ineffabile lumen, ac perpetuam vitam, & cũ angelis conuerſationem. Si enim Deo coniungi digni fuerimus, inquantum humanæ poſsibile eſt naturę, omnia cognoſcemus per ipſum, quæ modò ignoramus

1. Cor. 2.
Eſa. 64.

ramus. Hoc enim ego ex diuinitus inſpiratarum ſcripturarum inſtructus doctrina, omnium maximè regnum cælorum facio propinquius eſſe contemplationi ſanctæ, & indiuiduæ trinitatis, & inacceſsibili lumine eius illuſtrari, clarius que & limpidius reuelata facie illius gloriam ſpeculari. Si enim poſsibile eſſet, gloriam illam & lucem, & ineffabilia illa bona exhibere verbo, nihil eſſet mirabile. Sed neque eſſent magna & præcipua, ſi nobis terrenis & corruptibilibus, & grauem iſtam ac paſsibilem carnem geſtantibus, liceret cogitatione cōprehendere, aut verbo iſta demonſtrare. His ergo ſic cognitis, fide ſola ſuſcipe indubitanter nihil fictum habere, & per opera bona feſtina ad immortale regnum peruenire. Ad quod cum perueneris, addiſces perfectionem.

Ecce Fidē et opera bona per quæ duo ad immortale Regnū poßimus peruenire, Non ergo ſufficit vnū ſine altera Quod nota cōtra nouos Hæreticos.

De his verò quę interrogaſti, quomodo nos incarnati Dei verba audiuimus, per ſacra euangelia noueris nos hęc omnia didiciſſe. Sic enim ſanctus ille liber vocatur, quoniā immortalitatem et incorruptionem, & vitā æternam, & peccatorū remiſsionem, & regnum cælorum mortalibus nobis & corruptibilibus, & terrenis euangelizat: quem conſcripſerunt illi qui viderunt, & miniſtri ſermonis fuerunt, quos diſcipulos & apo-

Euāgelia quid in ſe habeant doctrina.

apoſtolos ſaluator noſter Chriſtus elegit: & tradiderunt nobis in ſcripto poſt glorioſam illius in cœlo aſcenſionem, ſuper terram videlicet ipſius conuerſationẽ, doctrinamque eius & miracula, quantum ex his ſcripturæ tradi ſufficiebat. Sic enim in fine ſermonis præcipuus diuinorum illorum euangeliſtarum dixit: Sunt (inquit) & alia multa quæ fecit Ieſus. Quę ſi ſcribãtur per ſingula nec ipſum arbitror mundum capere eos qui ſcribendi ſunt libros. *Ioan. 21.*

In iſto ergo diuinorum euangeliorũ libro continetur incarnationis, demonſtrationis, miraculorumq́; ipſi⁹ hiſtoria, ſpiritu Dei ſcripta. Deinde & de veneranda ipſius paſsione, quam ſuſtinuit propter nos Dominus, ſanctaq́; tertia die facta reſurrectione, & in cœlos aſcenſione, inſuper & de glorioſo & terribili ipſius ſecundo aduentu. Venturus eſt etenim iterũ filius Dei in terram cũ gloria ineffabili, & multitudine cœleſtis exercitus iudicare genus noſtrum & reddere vnicuiq; ſecundũ opera ſua: Hominem nanque ab initio Deus de terra formans (ſicut & antea dixi) inſpirauit in eum ſpiraculum vitę, quod anima rationalis & intellectualis appellatur. Quoniam verò in mortem condẽnati ſumus, omnes moriemur, & nul-

Mors quid. lus eſt hominum qui hunc calicem eua dere poſsit. Eſt autem mors animæ ſeparatio à corpore. Illud enim corpus de terra formatum, ſeparatum ab anima, in terram reuertitur, de qua ſumptum eſt, & corruptum diſſoluitur. Anima verò ambulat vbi creator præcipit, magis autem ſicut ipſa hoſpitium ſibimetipſi præparauit, cùm adhuc eſſet in corpore. Namque admodum quis conuerſabitur hîc, recepturus eſt ibi.

Deinde poſt plurimos annos, veniet Chriſtus deus noſter in maieſtate terribili & inenarrabili, vt mundũ iudicet. Cuius timore virtutes cœlorum moue buntur, & cuncti angelorum exercitus cum tremore ſtabũt in conſpectu eius. *1. Theſ. 4.* Tunc in voce archangeli & tuba dei re ſurgent mortui, & aſsiſtent illius throno terribili. *Reſurrectio.* Eſt autem reſurrectio, coniunctio animæ rurſus & corporis. Ipſum ergo eſt corpus, quod corumpitur & diſſoluitur, id ipſum reſurget incorruptũ. Et nulla incredulitatis tibi de hoc ſubintret hæſitatio. Non enim eſt impoſsibile ei, qui de terra ab initio for mauit illud, denuo conuerſum in terrã, de qua ſumptũ eſt, ſecundum eiuſdem conditoris ſententiam iterum reſuſcitare. Si enim conſiderare volueris quanta de nihilo fecit deus, ſufficiens erit

tibi

tibi illa demonſtratio. Etenim terram accipiens fecit hominem, terram, quæ prius non erat. Quomodo ergo terra facta eſt homo? Quomodo verò ipſa, cum non eſſet, creata eſt? Quale autem ſub ſe fundamentum habet? Quomodo verò ex ipſa irrationabilium prodierunt innumerabilia genera, totque ſeminũ atque arborum ſpecies? Sed etiam nunc perpende noſtram generationem, cuius ſemen breuè funditur in vuluam, ſuſcipientem illud. Vnde igitur tãta huius animalis formatio?

Ei ergo qui de nihilo creauit hæc omnia, & adhuc creat, impoſsibile non eſt de terra mortua, & in puluerem redacta, reſuſcitare corpora, vt vnuſquiſque recipiat ſecundum opera ſua. Operationis enim (inquit) præſens tempus, & futurnm retributionis: quoniam vbi iuſtitia Dei monſtraretur, niſi reſurrectio futura eſſet? Multi enim cum iuſti eſſent, plurimum in præſenti ſeculo tribulati & vexati, demum violenter necati ſunt. Nonnulli verò cum fuiſſent impij & iniqui, in delicijs & proſperitate præſentem vitã peregerunt. Deus autem quoniam bonus eſt, & iuſtus, ſtatuit diem reſurrectionis & iudicij, vt reſumat quęque anima proprium corpus. Malus quidem

qui

qui hic bona recepit, illic pro his quæ deliquit torquebitur. Bonus verò hic pro peccatis ſuis afflictus, ibi bonorum heres efficietur. Audient (inquit Dominus) hi qui in monumentis ſunt vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitę: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Quando & ſedes ponentur, & antiquus dierum, qui creator eſt omniũ, ſedebit, & libri aperientur, omnium noſtrum actiones, ſermones, cogitationes deſcriptas habentes, & thronus eius vt flãmæ ignis eſt, vbi omnia occulta reuelabuntur. Nullus ibi aduocatus aut perſuaſor verborum, aut falſa excuſatio, vel dignitatum excellentia, aut acceptio munerum, quæ rectum peruertere ſolet iudicium, ſed iuſtus ille & verus iudex, lance iuſtitiæ omnia decernet, & actum, & ſermonem, & cogitationem. Et ibunt qui bona fecerunt in vitam ęternam cum angelis lætaturi, & ineffabilia bona recepturi: qui verò mala egerunt, in damnationem æternam, quæ gehenna dicitur, & tenebræ exteriores, & vermis qui nõ dormit, & ſtridor dentium, & alia plurima tormenta.

Danielis. 7.

Atrociſsimum verò omniũ, alienari à Deo, & proijci à dulciſsimo vultu eius, & gloria illa inenarrabili priuari, & oſtentui

ſtentui corã omni creatura fieri, & con fundi confuſione finem non habitura. Nam poſt datam illam terribilem ſententiam, ómnia inconuertibilia manebunt & immutabilia, neq; iuſtorũ ſplẽdida conuerſatio eſt vlterius finem habitura, neque peccatorum miſeria atq; cruciatuum pœna terminum ſortitura, atque iudex poſt illum celſior, neq; per opera bona ſatisfactio, non terminus alterius regenerationis, nõ alia quælibet ars tunc ſubueniet cruciandis, perſeuerante illis cruciatu.

Cum hæc ita ſe habeant, quales nos oportet eſſe in ſanctis conuerſationibus & pijs actibus, vt effugere mereamur futuras minas, & ſtare à dextris filij Dei. Ipſa eſt enim ſtatio iuſtorũ. Peccatoribus verò à ſiniſtris miſerrima pars deputatur. Deinde iuſtos quidẽ benedictos patris vocando, dominus in regnum ſempiternũ introducet: peccatores verò cum ira & maledictione eijciendo à facie ſua manſueta quidẽ & quieta, in amariſsimũ pariter & ſæuiſsimũ præcipitabit tormẽtũ ęternũ. *Matt. 25.*

Ea que capite ſuperiore parcius & contractius adferebantur, multò hic fuſius aperiuntur, quin & de iuſtorum mercede, atque impiorum ſupplicio varia loca ex ſacris

ſacris literis petita, producuntur.

CAPVT IX.

TVnc Ioſaphat dixit ad eũ: Magnificas quaſdam atque mirabiles res mihi dicis ô homo, multo timore pariter & tremore dignas. Si hæc ita ſunt, & eſt rurſus poſt mortem, & in cinerẽ, & in puluerem diſſolutionem, reſurrectio atque generatio, bonorumq; gloria, & malorũ pœna, rogo quæ eſt horum aſſertio? & quomodo nunc quod non videtur, diſcentes ſic manifeſtè, ſic conſtanter, & indubitãter creditis? Nã ea quæ iam facta ſunt, & ſi ipſi non vidiſtis, attamẽ ab hiſtoriographis audidiſtis: quomodo verò de futuris talia magna & immenſa prædicantes, firmã de ipſis habetis certitudinem?

Et ait Barlaam: Ex præteritis habemus futurorũ certitudinem. Qui enim iſta prædicauerunt, in illo à veritate deuiauerunt, ſed ſignis & prodigijs, & varijs virtutibus, quæ dixerant aſtruentes, ipſi de futuris narrauerunt. Sicut ergo hic nihil fatuum aut fictum docuerunt, ſed omnia ſplendidiora ſole fulſerunt, quęcunq; fecerũt vel dixerunt, ſic & ibi vera docuerũt, quę & ipſe Dominus noſter, & dominator Ieſus Chriſtus verbo & opere confirmauit. Amen amen (inquit) dico vobis, quoniam venit

nit hora, quãdo mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Et ite- *Ioan.12.*
rum: Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei. Et procedẽt qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Et iterũ ait: De reſurrectione mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à Deo dicente: Ego ſum deus Abrahã, & deus Iſaac, & deus Iacob? Non eſt deus mortuorum, ſed viuorum. Sicut enim colli- *Luc.20.*
guntur zizania & igni cõburuntur, ſic erit in conſummatione huius ſeculi. Mittet filius Dei angelos ſuos, & colligent omnia ſcandala, id eſt, eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminũ ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.

Hęc dicens, addidit: Qui habet aures audiendi audiat. Talibus quidem ſermonibus & alijs pluribus, corporũ noſtrorum reſurrectionem Dominus declarauit. Opere etiam ſermones confirmauit, multos reſuſcitando mortuos. Nam circa finem ſuæ in terra conuerſationis, etiam quatriduanũ iam putrefactum & fœtentem Lazarũ, quendã amicum ſuum, de monumento vocans, & *Ioan.11.*
quaſi dormientem excitans, viuentem

exhibuit

exhibuit. Cum his autem & ipſe dominus primitiæ perfectæ, & non vlterius morti ſubiacens, carne mortem guſtando, reſurrexit tertia die, & mortuorum primogenitus factus eſt. Surrexerunt etiam quidam alij ex mortuis, ſed iterum mortui ſunt, & nō potuerunt imaginem vitæ futuræ verè exhibere. Solus autem ille reſurrectionis illius princeps factus eſt, reſurgens primus immortali reſurrectione. Iſta & qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, prædicauerunt. Ait enim beatus Paulus, cuius vocatio non ex hominibus, ſed de cœlo facta eſt: Notum vobis facio euangelium fratres, quod prædicaui vobis. Tradidi enim vobis quod & accepi, quia Chriſtus mortuus eſt propter peccata noſtra ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt, quia & reſurrexit ſecundum ſcripturas.

Si autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidā, quòd reſurrectio mortuorū non eſt? Si enim morui non reſurgunt, neq; Chriſtus reſurrexit: ſi autem Chriſtus reſurrexit, vana eſt fides veſtra. Adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Si in hac vita tantū ſperātes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominib. Nunc autē Chriſtus reſurrexit ex mortuis

tuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur. Et poſt pauca: Oportet enim (inquit) corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Quando verò corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatē, tunc complebitur ſermo, qui ſcript⁹ eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors aculeus tuus? Deſtruetur enim tunc perfectè virtus mortis, & deperibit, nihil vlterius actura, ſed immortalitas de reliquo, & incorruptio dabitur hominibus æterna. Erit profectò, erit indubitanter mortuorum reſurrectio. Et hoc fideliter credimus. Nam & gloriam iuſtorum, & pœnas impiorum, non dubitamus in die tremenda aduentus Chriſti futuras, in qua cœli igne ſoluentur, & elementa ardentia liqueſcent, ſicut ait quidam ſanctorum: nouos autem cœlos & nouam terram, ſecundum promiſsionem illius expectamus. Namque retributiones ſunt bonorum & malorum operum, nihilq́; ibi remanebit indiſcuſſum.

1. Petri. 2. Retributiones erunt bonorum & malorum Operum in die Iudicij.

Sed quod in operibuus & cogitationibus

nibus atque ſermonibus ratio ſit reddenda, teſtatur Dominus, dicens: Quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquę frigidę tantum, in nomine diſcipuli, non perdet mercedē ſuam. Et iterum dixit: Cùm venerit filiꝰ hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedē maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eū omnes gētes, & ſeparabit eos ab inuicē, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Et ſtatuet oues quidē à dextris ſuis, hœdos autē à ſiniſtris. Tunc dicet rex his qui à dextris eius erūt: Venite benedicti patris mei, poſsidete præparatū vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi mãducare. Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Hoſpes erã, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me. Infirmus, & viſitaſtis me. In carcere erã, & veniſtis ad me. Cur hæc dicit, niſi quia miſericordiã quam indigentibus prębemꝰ, in ſemetipſo ſuſcipit? Et alibi dicit: Omnis qui me cōfeſſus fuerit corã hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo in cœlis.

Matt. 25.

Luc. 12.

Ecce his omnibus, & alijs pluribus monſtrauit firmas eſſe & ſtabiles retributiones bonorum operum. Sed & aduerſarijs tormenta reſtare prenunciauit per parabolas mirabiles ac præcipuas, quas

Et hic rurſus habes firmas & ſtabiles Retributiones bonorum operum.

quas fons ſapientiæ enarrauit. Aliquando quidem diuitem quendam introducens, purpura & byſſo indutum, & epulantē quotidie ſplendidè, tenacē verò & immiſericordem contra egenos exiſtentem, ita vt & pauperem quendam Lazarum nomine, ante ianuam illius iacentem, ſperneret, & neque ex ipſis quę de menſa illius cadebāt, micis daret illi. Mortuis igitur vtriſque, pauper quidē ille & vlceroſus deportatus eſt (inquit) in ſinum Abrahæ, iuſtorum requiem ita inſinuans, Diues verò ſepultus eſt in inferno, in flamma & tormentis. Ad quem & Abraham dixit: Recepiſti tu bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.

Alibi verò comparat cœlorū regnum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, *Matt. 22.* futurā lętitiam atq; ſplendorem ita inſinuans. Omnibus namq; humilibus & terrena ſapientibus, de conſuetis eis & cognitis dabat parabolas, nō tamen nuptias & menſas futuras eſſe in illa æternitate demōſtrabat, ſed illorū cōdeſcendens craſsitudini, talibus nominibus vtebatur, nota facere eis futura volens. Omnes igitur (inquit) inuitauit rex excelſa prędicatione, vt conuenirēt ad nuptias, & ſaciarentur ineffabilibus bonis illis

illis. Multi verò ex illis qui erant inuitati, negligentes non venerunt, ſed ſubtrahentes ſemetipſos, alius quidē in villā abijt, alius ad negotiationē, alius ad ducendam vxorem, & ita ſeipſos priuauerunt ſplendore ſponſi. Illis verò voluntariè alienatis à delectabili iucunditate, alij vocati ſunt, & repletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Ingreſſus autem rex vt videret diſcumbentes, vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc inſtraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris, Ligatis manibus eius & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Illi ergo qui venire renuerunt, & prorſus inobedientes extiterunt, ſunt hi, qui ad fidē Chriſti nolunt venire, ſed ſiue in idololatria ſiue in aliqua hęreſi perſeuerant. Ille verò qui veſtem non habebat nuptialem, fidelis quidem eſt, ſed ſordidis actibus intellectualem veſtem polluit, & iuſtè proijcitur de gaudio nuptiarum.

Notatu, Quod dicis veſtē nuptialē eſſe Fidē, quā ille non habuit, quod nō rectè Sacram ſcripturā interpretaris, Habebat enim ille fidem, Sed Fidem ſuā malis Operibus polluerat, Et ideo Regno Dei fuit excluſus.

Mat. 25.

Et aliā parabolam huic conſonantem addidit, decem quaſdam virgines figurās. Ex quibus erant quinque prudentes, quinque verò fatuæ. Quæ fatuæ, acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum: ſapientes autem ſumpſerunt.

runt. Per oleum, bonorum operum poſſeſsionem ſignificat. Media verò nocte (inquit) clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Per mediam noctem, incertitudinem diei ſignificat. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & quæ paratæ erant exierunt obuiam ſponſo, & intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Quę verò paratæ nō erant, quas cōuenienter fatuas appellauit, extinctas lampades ſuas cernentes, ierunt ad emendū oleum. Reuerſæ verò, clauſa iam ianua, clamabant dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Ille autem reſpondens dixit: Amen dico vobis, neſcio vos. Ex his ergo omnibus manifeſtū eſt, futurā eſſe retributionem malarū actionū, nec non & verborum, & ipſarum cogitationum.

Dixit enim Saluator: Dico vobis quod omne verbum ocioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Et iterum: Veſtri verò (inquit) & capilli capitis, omnes numerati ſunt: per capillos minutiſsima quæque cogitationum & intentionum demonſtrans. Conſona verò his & beatus docet Paulus: Viuus eſt enim (inquit) ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens vſque ad diuiſionem *Matth. 12.* *Matth. 10.* *Heb. 4.*

animæ & corporis, cōpagum quoq; & medullarum, & diſcretor cogitationū & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt ocu lis eius, ad quem nobis ſermo.

Hęc & prophetę ante multa tēpora ſpiritus ſancti illuminati gratia, manife
Eſa.66. ſtiſsimè annunciauerūt. Ait enim Eſaias: Ego opera illorū ſcio, et reddā eis. Ecce congregare venio omnes gentes & linguas, & venient, & videbunt glo riam meam, & erit cœlū nouū & terra noua, quę ego facio manere coram me. Et veniet omnis caro, & adorabit in cō ſpectu meo, dicit Dominus. Et exibunt & videbunt cadauera hominum, qui præuaricati ſunt in me. Nam vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et erunt vſq; ad ſacietatem viſionis omni carni. Et iterū de die illa dicit. Et inuoluetur cœlum ſicut liber, omnes ſtellæ cadent ſicut fo lia de vinea. Ecce enim dies Domini ve nit, plena furore & ira, vt ponat orbem totum deſertum, & peccatores perdat ex eo. Nam aſtra cœli & orion, & omnis ornatus cœli lumen ſuum non dabunt. Et obtenebrabitur dies orto iam ſole, & luna non dabit lumen ſuum. Et rurſus dicit. Væ qui trahitis iniquitatē

in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes amarũ in dulce, & dulce in amarũ. Vę qui potentes eſtis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miſcendam ebrietatẽ, qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Qui declinatis iudiciũ pauperũ, & diripitis ſubſtantiã egenorũ, vt ſit vobis vidua in rapinã, & orphanus in prædam. Et quid facietis in die viſitationis, et ad quem confugietis in auxilium, & vbi derelinquetis gloriam veſtram. *Eſa. 5.*

Et his conſonans alius propheta ait: Iuxta eſt dies magna, iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos. Et tribulabo malignos, & ambulabunt vt cęci, quia domino peccauerunt. Et effundetur ſanguis eorum ſicut humus, & corpus eorũ ſicut ſtercora. Sed & argentum eorũ & aurum eorum, nõ poterit liberare eos in die furoris Domini. In igne zeli eiũs deuorabitur omnis terra: quia cõſummationẽ cum feſtina- *Soph. 1.*

tione faciet cunctis habitantibus terrã. Cũ his & Dauid rex propheta clamat:
Pſal.49. Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, et in circuitu eius tempeſtas
Pſal.77. valida. Aduocabit cœlum deſurſum, & terrã diſcernere populũ ſuum, Et iterũ: Surge (inquit) Deus iudica terram: quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & tu reddes vnicuique ſecundum opera ſua. Multa verò & alia huiuſmodi tam pſalmographus, quàm & omnes prophetæ diuino edocti ſpiritu, de futuro iudicio & retributione prædicauerunt. Quorum ſermones & Saluator firmiter ſtabiliens, docuit nos credere reſurrectionem mortuorum, & retributionem defunctorum, vitamque immortalem futuri ſeculi.

Ioſaphat corde cõpunctus, lachrimis vbertim defluentibus, conſiliũ ſuæ ſalutis à Barlaamo expetit, qui Baptiſmũ illi commendans, acriter idola, eorumq́; cultores ſuggillat, mercedẽ interim ijs, qui ab idololatria ad Deum viuum ſeſe cõuertunt, producens.

CAPVT X.

HIs auditis Ioſaphat, vehemẽter cõpunctus, corde, totusq́; lachrymis perfuſus, ait ad ſenem: Apertè mihi omnia nota feciſti, luculenter peroraſti ter-

terrribilem hanc atq; mirabilem narrationem. His ergo imminētibus nobis, quid oporteat me facere, vt euadam prę paratas peccatoribus pœnas, & merear gaudio perfrui iuſtorum?

Barlaam reſpondit: Scriptū eſt, quod docente Petro populum, qui & princeps vocatus eſt Apoſtolorum, cōpuncti ſunt corde, ſicut & tu hodie. Et dicentibus illis quid faciemus? ait ad eos, Pœnitentiam agite, & baptiſetur vnuſ quiſq; veſtrûm in remiſsionē peccatorū, & accipietis ſpiritusſancti donum. Vobis enim eſt promiſsio & filijs veſtris, & omnibus qui lōgè ſunt, quoſcūq; aduocauerit Dominus Deus noſter. Ecce igitur & in te effudit abundè miſericordiam ſuam, et vocauit te, cum ab eo longè eſſes voluntate, & alienis deſeruires nō dijs, ſed dæmonibus, et ſimulacris mutis & inſenſibilibus. Propter quod ante omnia accede ad eū, qui vocauit te, à quò accipies viſibiliū & inuiſibilium verā noticiā. Si verò & poſt vocationem venire nolueris, aut tardaueris, iuſto Dei iudicio exhæredaberis. Sic enim & ipſe Apoſtolus Petrus, ad quēdam diſcipulorum dixit: Ego autem credo, quia & obaudiſti vocationi, & adhuc manifeſtius ſubaudiens, tolles crucem, et ſequeris vocantē te do-

minatorem Deum, qui vocat te de morte ad vitam, & de tenebris ad lucem. Nam Dei ignorantia veraciter tenebrę ſunt, & mors animæ, & ſeruire idolis ad perditionem, omni mihi videtur ſtoliditate eſſe deterius.

Quos cui aſsimilabo, & qualẽ fatuitatis imaginem iſtorum tibi exhibebo? Sed tamen exemplum tibi proferam, à quodam viro ſapiẽtiſsimo mihi dictũ. *Philomena.* Aiebat enim, Quia ſimiles ſunt idolorũ adoratores viro ſagittario, qui cõprehendit vnam de minutiſsimis auiculis, philomenã hanc vocant. Arripiens igitur, cultellum vt occideret eam et comederet, data eſt philomenæ vox articulata, & ait ad ſagittariũ: Quod tibi ô homo, necis meę proficuũ eſt? Non enim de me tuum implere ventrẽ poteris, ſed ſi me à vinculis liberaueris, tria mandata tibi dabo, quæ ſi cuſtodieris, ex his magnam per totam vitam tuam vtilitatem conſequeris. Ille verò ſtupefactus illius loquela, promiſit quod ſi quid nouum audiret ab ipſa, mox eam à vinculis liberaret. Cõuerſa itaq; philomena, dicit homini: Nũquam aliquid coneris cõprehendere eorum, quæ apprehendi non poſſunt: & ne doleas de re perdita quam recuperare nõ potes: & verbum incredibile non credideris aliquando.

Hæc tria mandata cuſtodi, & bene tibi erit. Admiratus aũt vir. perſpicuam verborũ intelligẽtiam, ſoluens eam à vinculo, per aëra dimiſit auolare liberam.

Philomena igitur volens probare, ſi recognouit vir dictoiũ ſibi verborum virtutem, & lucratus eſt aliquam ex ipſis vtilitatem, dicit ad eum volitans in aëre: Væ tibi homo quàm malum conſilium habuiſti, & qualem theſaurum hodie perdidiſti. Eſt enim in viſceribus meis margarita, quæ ſtruthionis ouum ſua vincit magnitudine. Vt hoc audiuit ſagittarius, cõtriſtatus eſt valde. Pœnituit nanq; eum quod euaſerit philomena illa de manu ſua: & denuò tentans illam apprehendere, dixit: Veni in domum meam, & omnem humanitatem tibi exhibebo, deinde honorificè te dimittam. Tunc ait Philomena: Nunc cognoui certiſsimè te eſſe fatuum. Suſcipiens nanq; quę tibi dicta ſunt à me, promptè & libenter audiens, nullum ex his proficuum aſſecutus es. Dixi tibi ne doleres de re perdita & irrecuperabili. Mandaui tibi ne tentares incomprehenſibilia capere, et tentaſti me comprehendere, cum non valeas itinere meo pergere. Cum his etiam ne verbũ incredibile credideris, tibi mandaui: ſed ecce credidiſti in viſceribus meis eſſe marga-

ritam ſupergredientem menſurã ventris mei, & nõ valuiſti intelligere, quoniam ego tota non poſsim pertingere ad magnitudinem oui ſtruthionis : & quomodo margaritam talem caperem in me?

Sic ergo ſtulti ſunt & illi, qui confidũt in idolis. Operãtur ea manibus ſuis, & adorãt quæ fecerunt digiti eorũ, dicentes: Iſti ſunt qui plaſmauerũt nos. Quomodo ergo plaſmatores ſuos ab ipſis plaſmatos & factos exiſtimẽt? Sed & ſeruantes eos in cuſtodia ne à furibus rapiantur, cuſtodes vocant ſuæ ſalutis. Et quantæ inſipientiæ eſt non cognoſcere, quoniam qui non ſufficiunt ſemetipſos adiuuare & cuſtodire, quomodo poterunt alijs hoc præſtare? Euacuant theſauros ſuos, ſtatuas dæmonibus & imagines erigendo, & amentes dicunt ipſos doctores bonorũ, quæ neque aliquando poſſederũt, neq; aliquando ſunt poſſeſſuri. Ideo ſcriptũ eſt: Similes illis fiant, qui faciũt ea. Qui mercede conducẽtes artificẽ, fecerunt opera manuũ, & procidentes adorauerunt ea. Deinde tollunt illa ſuper humeros ſuos, & ambulant. Si aũt poſuerunt ea in loco, manẽt in eo, nec mouentur. Et quantũcunq; clamauerũt ad ea, nõ exaudient, nec à malis liberabũt eos. Ideo con-

cõfundũtur cõfuſione, qui confidũt in ſculptilibus, qui dicũt fuſilibus, Vos eſtis dij noſtri. Immolauerũt (inquit) dæmonijs, et nõ Deo, dijs quos ignorabãt. Noui recentesq́; venerũt, quia generatio peruerſa eſt, & non eſt fides in eis.

Ex hac ergo generatione mala & infideli, vocauit te Dñs, dicẽs tibi: Exi de medio eorũ, & ſeparare, & immundum ne tetigeris, ſed ſaluare de generatione iſta. Surge, & vade, quia non eſt tibi requies in ea. Nam multiplices apud vos dij, & inordinati atq; ſeditioſi, & omnino diſcordes. Apud vos verò nõ ſunt dij multi & domini, ſed vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſo, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quẽ omnia, & nos per ipſum, qui imago Dei eſt inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, & omnium ſeculorum: quoniam in ipſo creata ſunt omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia per ipſum, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et vnus ſpiritusſanctus, in quo omnia, Dominus & viuificans Deus & deificans, ſpiritus bonus, ſpiritus rectus, ſpiritus paracletus, ſpirit⁹ adoptionis. Harum triũ perſonarum vnaquæq; Deus perfectus eſt, ſed non tres dij. Qualis

pater,talis filius,talis ſpiritus ſanctus. In his tribus perſonis, vna natura, vnũ regnũ,vna virtus,vna gloria, vna ſubſtantia:diuiſio tantum in perſonis, ſed vnitas in deitate. Vnus enim pater,cui proprium eſt ingenitum eſſe,vnus vnigenitus filius, cui propria eſt natiuitas, vnus verò ſpiritus ſanctus, & propria eius proceſsio: Sic enim nos de lumine patre,lumen videntes filium,in lumine ſpiritu ſancto viuificamur, in tribus perſonis vnam glorificantes deitatem: & ipſe eſt verus & ſolus Deus in trinitate cognitus,quoniam ex ipſo, & per ipſum,& in ipſo ſunt omnia.

Huius gratia & ego cognoſcens de te,miſſus ſum vt docerem te, quæ didici, & ſeruaui vſque ad caniciem meam. Si ergo credideris,& baptiſatus fueris, ſaluus eris:ſi verò non credideris, condemnaberis. Nam iſta quæ cernis hodie, & in quibus exultas:id eſt, gloria,deliciæ, & diuitiæ, & omnes vitæ ſeductiones,citò tranſeunt,eijcientque te etiam hinc nolentem,& corpus quidem concludetur paruo monumento ſolum derelictum, omniq; deſtitutum amicorum & cognatorum affectu. Abijcientur verò delectationes mundi, & multa fœditas et putrida corruptio pro præſenti decore & bono odore inducetur.

cetur. Animam verò tuam mittent in condemnationem inferni, vſque ad vltimam reſurrectionis diem, quando rurſus ſuo ſumpto corpore, eijcietur à facie Domini, & tradetur igni gehennæ, ſine fine arſura. Hæc tibi contingent, & multa his deteriora, ſi remanſeris in infidelitate.

Si verò vltroneus obaudieris ei, qui te vocat ad ſalutem, & acceſſeris ad eum cum gaudio & deſiderio, & lumine illius ſignatus fueris, & toto corde ſecutus fueris eum, omnia quidem reſpuens, & illi ſoli adhærens, quales habebis ſtabilitates et delectationes, audi: Si ſederis, ſecurus eris, ſi dormieris, iucundè ſoporatus quieſces, & non formidabis terrorem ſuperuenientem, neque impetus ſæuorum dæmonum intentatos, ſed ambulabis confidens ſicut leo, & viues cum lætitia, & in æternum exultabis. Nam ſuper caput tuũ exultatio, & laus & lætitia comprehendet te, aufugiet dolor & triſtitia, & gemitus. Tunc erumpet quaſi mane lumẽ tuũ, & ſanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet. Clamabis, et dicet. Ecce adſum. Ego enim ſum qui deleo iniquitates tuas, & non memora

rabor. Tu verò memor eſto, & iudice-
Eſaiæ 1. mur. Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtifi-
ceris. Si fuerint peccata tua vt coccinũ,
quaſi nix dealbabuntur: etſi fuerint ru-
bra quaſi vermiculus, velut lana alba
erunt. Os enim Domini locutũ eſt hoc.

Suſcepto baptiſmo, opera ſancta fidei ſunt coniungenda, quod multis ſcripturis confirmatur. Hinc eleganter Baptiſmus lachrymarum ſeu pœnitentiæ lapſis, neceſſarius aſtruitur.

CAPVT XI.

DIcit ad eum Ioſaphat: Omnia verba tua bona & admirabilia ſunt, quę credidi, & credo. Omnẽ quidẽ idolorum ſeruitutẽ ex corde odiens, etiam priuſquã tu intrares ad me, quia inuitꝰ & dubitãs erga iſta ſe habuit ſemper animus meus. Nũc verò perfecto odio odiui, diſcẽs à te vanitatẽ & inſipientiam illorũ, qui ſeruiunt eis. Deſidero aũt verus Dei ſeruus fieri, ſi tamẽ nõ repulerit me indignũ, propter meas iniquitates: ſed cõfido quia dimittet mihi omnia peccata mea, quoniã benignus & miſericors eſt, ſicut tu doces. Ideo ego paratus ſum baptiſmũ ſuſcipere, & omnia quęcũq; dixeris cuſtodire. Quid verò me oporteat facere poſtquã baptiſatus fuero, etſi hoc ſolũ ſufficit ad ſalu-

tem

tem(credere videlicet & baptiſari) an alia oportet aliqua ſubſequi, manifeſta.

Adeſte huc Nouatores, qui ſolam fidē dicitis, & nullum opus ad ſalutē requiri, quoniam dicit Dominus, Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eū quē miſit ille, Io. 6 Quaſi opus fidei excludit opus actionis? O miſeri & obcæcati. legite quæ hic dicuntur, et erubeſcite, et cōfundimini.

Tunc ait ad eum Barlaam: Audi quid oportet facere poſt baptiſmum. Ab omni quidem peccato, et ab omni vitio abſtinere, ædificare verò ſuper fundamentum rectæ fidei, virtutū operationem: quoniam fides ſine operibus mortua eſt, ſicut et opera ſine fide. Ait enim Apoſtolus: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt, adulteria, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, auaritia, maledictiones, amor voluptatum, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia. Quæ prędico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Fructus enim ſpiritus, eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, manſuetudo, fides, continentia, ſanctificatio animę & corporis, humilitas cordis & contritio, eleëmoſyna, immemoria mali, humanitas, vigilię, diligens pœnitentia omnium præteritorum peccatorum, lachrymæ compunctionis, luctus tam pro peccatis ſuis, quàm pro peccatis proximorum ſuorum, & his

Iacobi 1.

Gal. 5.

ſimilia, quę velut quidam gradus & ſca lę inuicem vinctæ, & ſubinde auctæ, in cœlum animam ſubleuant. Ecce iſta mandamur poſt baptiſmum fortiter tenere, à contrarijs verò abſtinere.

Si aũt poſt acceptã veritatis cognitionẽ, priora rurſus mortua apprehẽderimus opera, & ſicut canis ad vomitum reuerſi fuerimus, continget nobis quod

Luc. 11. à Domino dictum eſt: Cùm enim (inquit) ſpiritus immundus exierit ab homine (gratia videlicet baptiſmatis) ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit. Non ferens autem diutius ſine domo & ſine tecto errare, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui, & veniens inuenit ſcopis mundatam & ornatam: id eſt, vacuam & vacantẽ, ſeu, quæ gratiæ non ſuſcepit operationem, nec ſeipſam virtutum diuitijs ditauit. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſsi habitant ibi: & fiunt nouiſsima hominis illius, peiora prioribus. Nam baptiſmus omnium quidem præteritorum peccatorum chirographa, perfectæ tradit perditioni, & deinceps murus eſt nobis firmus & antemurale, & arma fortia aduerſus inimici prælium. Non autem deſtruit liberum arbitrium, neque poſt baptiſmũ peccatorum habet indulgentiam

tiam, neq; ſecundã in piſcinam deſcenſionẽ. Vnum enim confitemur baptiſmum, & ideo opus eſt omni cuſtodia ſeruare ſemetipſos, ne rurſus polluãtur, quin potius mandata Dñi comprehendant. Dicens enim ad Apoſtolos. Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, nõ hic reſtitit., ſed addit. Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. *Mar. 16.*

Mandauit enim pauperes quidem eſſe ſpiritu, quos beatos eſſe dicit, & regno cœlorum dignos appellat. Deinde lugere in præſenti ſubdidit vita, vt futura conſolatione digni efficiamur. Mites quoq; eſſe, & ſemper eſurientes, & ſitientes iuſtitiam, miſericordes & facilè tribuẽtes, miſerationem habentes, & compaſsionem, mundos corde, abſtinẽtes ab omni pollutione carnis & ſpiritus. Pacificos cõtra proximos, & contra animam ſuã. Subijcientes videlicet deterius meliori, et inter ipſos pertinax bellum recto iudicio pacificantes. Suſtinere etiam oẽm perſecutionem, & omnem tribulationem, & opprobriũ propter iuſtitiam, pro nomine eius nobis illatum, vt æternum gaudiũ in ſplendida diſtributione adipiſci mereamur. Sed et in mundo præcepit, vt ſic luceat lux *Matt. 5.*

noſtra

noſtra coram hominibus, vt videant o
pera noſtra bona, & glorificent patrem
noſtrum, qui in cœlis eſt.

Nam lex Moſi, quæ quondam data fuit Iſraelitis: Non occides (inquit) non mœchaberis, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, Chriſtus verò ait: Quia omnis qui iraſcitur, fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio. Quicunque dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Et quia ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia fra-
Matt. 5. ter tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. Et quia omnis qui viderit mulierem ad cõcupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, pollutionẽ animæ & vicij conſenſum, adulteriũ vocans: ſed & lege periurium prohibente, Chriſtus nec omnino iurare, præter eſt & non, mandauit. Oculum pro oculo, & dentem pro dente: ibi. Hic autem. Quicunque percuſſerit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. Et, Qui tecũ vult iudicio cõtendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei. Et volentem à te mutuari, ne auertas.

Audiſtis quod dictum eſt, Diliges

pro-

proximum tuũ, & odio habebis inimicum tuũ. Ego aũt dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderũt vos, & orate pro perſequentibus & calũniantibus vos, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuũ facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Nolite iudicare, vt nõ iudicemini. Dimittite, et dimittetur vobis. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi erugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neq; erugo, neq; tinea demolitur, et vbi fures nõ effodiũt, nec furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Ne ſoliciti ſitis animæ veſtrę, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. Scit enim pater veſter cœleſtis, quoniam his omnibus indigetis, Qui ergo animã dedit & corpus, dabit prorſus & cibũ, & veſtimentũ, qui volatilia cœli nutrit, et lilia agri tali exornat pulchritudine. Quærite verò primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & omnia iſta adijcientur vobis. Nolite ſoliciti eſſe de craſtino: nam craſtinus dies ſuijpſius ſolicitus erit. *Luc.6.* *Matt.6.*

Oĩa quęcũq; vultis vt faciãt vobis homines, ſic & vos facite illis. Intrate per anguſtã portã, quia lata eſt porta et ſpa *Luc.18.*

coiſa

cioſa via, quæ ducit ad mortē, & multi ſunt qui intrant per eam: quoniā angu ſta porta & ſtricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. Nō omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnū cœlorū: ſed qui facit voluntatē patris mei, qui in cœlis eſt. Qui diligit patrem & matrem plus quàm me, nō eſt me dignus. Ecce iſta et his ſimilia mandauit Saluator apoſtolis, vt docerent fideles. Et hæc omnia debemus cuſtodire, ſi deſideramus perfectionem cōſequi, & incorruptibilem coronam iuſtitiæ promereri, quam reddet Dominus in illa die iuſtus Iudex, omnibus diligentibus ſe.

Dicit ei Ioſaphat: Igitur quantum ex hac dogmatum ſubtilitate perpendere valeo, ſi hanc mundam conuerſationem poſt baptiſma, vnius vel duorum tranſgreſsione mandatorum iſtorum, violare me contigerit, ab omni mea corruam intentione, et omnis ſpes mea irrita fiet.

Reſpondit ei Barlaam: Noli ſic iſta perpendere, nam pro ſaluatione generis noſtri, homo factus Deus verbū, ſciens infirmitatem multam atque miſeriam naturæ noſtræ, nec in hac parte dimiſit nos ſine medicina languere, ſed ſicut ſapientiſsimus medicus lubricæ

noſtræ atq; peccatrici voluntati cõmiſcuit antidotum pœnitentiæ, prædicans iſta in remiſsionem peccatorum. Poſt acceptam etenim cognitionem veritatis, & ſanctificationē per aquam & ſpiritum, omnisq; peccati & totius ſordis facilem emundationem, ſi cõtigerit in aliquos peccatorum caſus nos corruere non eſt quidem per baptiſmũ ſecunda regeneratio in aqua piſcinæ per ſpiritũ ſanctificata, quæ perfectè renouat baptizatos. Hoc quippe donũ ſemel datur: ſed per pœnitentiã laborioſam, & lachrymarũ abundantiam, ærumnasq; atq; ſudores fit emundatio, atq; remiſſio culparum, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Baptiſmus enim vocatus eſt etiam Fons lachrymarũ, ſecundum gratiam Domini, ſed labore & dolore indigens. Multosq; de pluribus peccatis liberauit, eo quòd peccatũ non valet Dei ſuperare benignitatem: ſi tamen occurramus pœnitentiã agere, & lachrymis delictorum ſordes abluere, ne mors pręueniens, hinc ſordidos eijciat. Non eſt enim in inferno pœnitẽtia vel cõfeſsio. Dum enim viuimus (fundamento tamen rectæ fidei ſtabili permanente) etſi aliquid trabium vel tectorum diſſoluatur, licet quod putrefactũ eſt negligentia, pœnitẽtia renouare. Nam multitudinem

Quid dicis hic tu, qui ais ſufficere ad pœnitentiam, credere culpam remitti, & mores in melius cõmutari. Nonne vides quod et ſatisfactionis opera requirũtur, ſecundum verum ſanctæ Eccleſiæ dogma.

Baptiſmus.

dinē miſerationum denumerare, & magnitudinē miſericordiæ illius metiri, impoſsibile eſt: peccata verò quantacūque ſint atq; delicta, menſurę ſubiacēt, et numerabilia eſſe cōſtat. Ergo menſurę et numero ſubiacētia peccata noſtra, immēſam miſericordiā et innumerabiles Dei vincere nequeunt miſerationes.

Quapropter non debemus in multitudine deſperare peccatorum, quorum remiſsio nobis adiacet benignitate Chriſti, qui pro peccatis noſtris ſuum effudit ſanguinem. Vbiq; verò per ſcripturas pœnitentiæ virtutē diſcimus, & maximè ex præceptis, & parabolis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ex tunc enim ait: Cœpit Ieſus docere, et dicere. Pœnitētiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Sed & in parabola filium quadam narrat, qui accepit patris ſubſtantiam, et abijt in regionē longinquam, ibíque totam diſsipauit viuendo luxurioſè. Deinde fame in regione illa facta, abijt, & adhæſit vni malignorum ciuium, regionis illius peccatricis. Qui & miſit illum vt paſceret porcos, aſperrimum & abominabile ſic vocans peccatū. Multum enim tribulatus, & ad extremam deueniens miſeriam, in tantum quod nec de ſiliquis, quas porci manducabant, ſuum poſſet implere ventrem.

Matt. 3.
Luc. 15.

Tan-

Tandē aliquando ſuam in ſe reuerſus ſentit confuſionē, lamētansq; ſeipſum, dicebat: Quāti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego aūt hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater peccaui in cœlū, & coram te, & iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de de mercenarijs tuis. Et ſurgēs, venit ad patrē ſuum. Cùm aūt adhuc lōge eſſet, vidit illū pater ipſius, & miſericordia motus eſt, et accurrens cecidit ſuper collū eius, et oſculatus eſt eum. Et in priorem reſtituens illum honorē, ſolennitatem lætabundam fecit in eius inuentionem, occidēs vitulum paſcualem. Ecce parabolam hanc, de peccatoribus ad pœnitentiam reuertentibus, nobis narrauit. Sed & paſtorē quendam bonum *Luc.15.* qui centū oues habuit, et vna perdita, dimiſit nonaginta nouem, & ad quærēdam illā exiuit, donec inuenit eā, et inuentā in humeros ſuos leuauit, et alijs qui nō errauerant, coniunxit, vocauitq; amicos et vicinos ad epulas, in eius inuentionē: Sic (inquit) Saluator, gaudiū erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.

Princeps etiam apoſtolorū Petrus, fide

Petri lapſus. fidei petra circa ipſum tẽpus paſsionis
Luc.22. Chriſti,ad modicũ derelictus,diſpẽſati
ua quadã deſertione,vt agnoſceret humanę infirmitatis puſillanimitatẽ et miſeriã,negationis crimẽ incurrit. Deinde ſtatim verborum Dñi recordatus, exijt foràs,& fleuit amarè,lachrymisq́; illis, deiectionis verecũdiam proteſtatus, victoriam reportauit. Nam cũ eſſet arte bellandi imperitus,cecidit, non tamen eſt diſſolutus, neq; in ſemetipſo deſperauit,ſed reſiliẽs, amariſsimas de corde contribulàto produxit lachrymas: ſtatimq́; hoſtis cernẽs hoc, quaſi flãma vehemẽtiſsimę facis ſuccenſus,receſsit, fugiens lõgius,& duriſsimè eiulans. Princeps aũt apoſtolorũ Petrus antè fuit,fuit & poſtea magiſter orbis ordinatus: ſic iã & pœnitentię forma effectus eſt. Poſt reſurrectionẽ verò ſuã Chriſto dicente ei,Petre amas me,ternã negationẽ correxit, ipſo Apoſtolo reſpondente, Etiam Dñe tu ſcis,quod amo te.
Ioan.21.

Lachrymæ ex corde fluunt. Ex his enim omnibus,& alijs pluribus,& numerum ſuperantibus exemplis,diſcimus virtutem lachrymarũ & pœnitentię,tantum vt modus huius digné & rationabiliter fiat,ex affectu abominando peccatum,& odiendo atque condemnando, lachrymas etiam fundendo:ſicut ait propheta Dauid: Labora-

raui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meũ, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Et ita peccatorum emundatio fiet per ſanguinẽ Chriſti, in magnitudine miſericordiæ illius, & multitudine miſerationum Dei, dicẽtis: Quod ſi fuerint peccata veſtra ſicut phœnicium, quaſi nix dealbabuntur: ſi autem fuerint vt coccinum, quaſi lana alba erunt. Hæc quidem ita ſunt, & ita credimus. *Pſalm. 6.* *Ecce quomodo agitur vera pœnitentia.*

Oportet itaque vt poſt acceptam noticiam veritatis, & regenerationis, et adoptionis filiorum Dei, dignitatem, & myſteriorum guſtum diuinorum, omni virtute obſeruare, ne ruamus. Nam cadere non expedit certanti: quoniam iam multi qui corruerunt, reſurgere non potuerant. Alij vicijs quidem ianuam aperientes, & inſeparabiliter eis adhærentes, vlterius ad pœnitentiam venire nequierunt. Alij verò morte præuenti, & non occurrentes, per pœnitẽtiam ſeipſos à ſorde peccati abluere, condemnati ſunt. Propterea periculoſum eſt in quodcunq; vicium cadere. Si verò contigerit, ſtatim reſilire oportet, & rurſus in bono ſtare certamine. Et quotieſcunq; iſtud acciderit, & illud mox fiat, id eſt, reſurrectio & ſtatio vſque ad mortẽ. Nam conuertimi- *Eſaia 1.*

mini ad me, & ego conuertar ad vos, dicit Dominus Deus.

Ioſaphato iam ſtudioſè quærenti, quo pacto ab illecebris ac voluptate quam remotiſſimè ſecedere poſſet, varia monachorum genera recenſentur, vnaque vitæ monaſticæ virtutum catalogus contexitur, ac ſub capitis calcem miro artificio adducta ſcita quadam ſimilitudine, vitæ præſentis delitias vitandas eſſe docetur.

CAPVT XII.

AD hæc Ioſaphat dixit: Quomodo igitur quis cuſtodiet ſe ipſum poſt baptiſma, mundum ab omni peccato? Nam ſi reſtat delinquentibus pœnitentia, ſed tamen nõ ſine labore & dolore, fletu & planctu, quæ nõ facilia multis fore mihi videntur. Et ideo mallem inuenire viam, vt cuſtodirem diligenter præcepta Dei, et non declinarem ab eis, ne poſt indulgentiam priorum malorum, ad iram prouocarem iterum dulciſsimum Dominum meum.

Tunc Barlaam ait: Bene dixiſti domine mi rex, nam hoc & mihi deſiderabile eſt. Sed laborioſum eſt, et valde impoſsibile, iuxta ignem conuerſari aliquem & non fumigari. Difficile eſt ergo et nimis arduũ, ſecularibus vinctum negocijs, & eius curis implicitum, et cõ

tur-

turbationibus, & in delicijs atque diuitijs viuentem, mandatorum Dei indeclinabiliter viam pergere, & mundum ſeipſum cōſeruare. Ait enim Dominus: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Scribit autem & dilectus ipſius diſcipulus Ioannes Euāgeliſta & theologus, in epiſtola ſua ſic: Nolite diligere mundum, neque ea quę in mundo ſunt. Quoniam omne quod in mundo eſt, cōcupiſcentia carnis eſt, & concupiſcētia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non ex parte, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet im æternum.

Matt. 6.

1. Ioan. 2.

Iſta ergo diuini ac deiferi patres noſtri, & Apoſtolū audiētes, quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum, feſtinauerūt, poſt ſanctum baptiſmū immaculatā & impollutā incorruptionis ſeruare tunicā. Vnde quidam illorum & aliud addiderunt baptiſmū ſuſcipere, per ſanguinē dico & martyrium. Baptiſmū enim & hoc nominatur, & valde precioſum atque laudabile, Secundis nanq; peccatorum non polluitur ſordibus. Quod &

Baptiſmus martyrij.

Dominus pro nobis ſuſcipiens, baptiſmum decenter vocauit. Hinc ipſius imitatores facti, prius quidem ſui diſcipuli & apoſtoli, deinde verò & omnis ſanctorum martyrum chorus, cultoribus idolorum, regibus & tyrannis ſemetipſos pro nomine Chriſti obijcientes, omne genus tormentorum ſuſtinuerunt, videlicet beſtijs proiecti, & ignibus exuſti, atq; gladijs interempti, bonamque confeſsionem confeſsi, curſum conſummauerunt, fidem ſeruauerunt, iuſtitięq; brauiū ſunt adepti, angelisq; aſſociati, & Chriſti cohæredes effecti ſunt. Quorum virtus intantum reſplenduit, quod in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Iſtorum non tantum verba & opera, ſed & ſanguis & oſſa, omni ſanctitate plena. Dæmones nanque potenter eijciunt, inſanabilium verò languorum ſanitates, fide accedentibus præſtant. Veſtimenta verò, & ſi quid aliud precioſis ipſorum appropiauit corporibus, creaturæ omni ſemper ſunt veneranda.

Vides ô hæretice, quod ſanctorū Martyrum ſanguis, oſſa, veſtimenta, et quicquid eorū precioſis adhæſit corporibus

De quibus longus erit ſermo, ſi per ſingula, virtutes eorū referre voluerimus.

omni creaturæ veneranda ſunt, Dæmones eijciunt, & inſanabilium languorum ſanitates præſtant? Sed & ſanctorū Martyrū reliquias venerādas eſſe docet D. Auguſtinus exemplo reliquiarum beati Steph. in Epiſt. 151. ad Quirinum.

Poſtquam verò crudeles illi & atroces tyranni, mali malè perierunt, & perſecutio quieuit, regesque fideles per vniuerſum orbem regnauerunt: ſuſcipientes alij, & imitantes zelum alium, & diuinum deſiderium (martyrium dico) & eodem amore in animo vulnerati, diligenter ſatagebant mundam animam, & corpus impollutum Domino exhibere, omnesque viciorũ illecebras circuncidentes, & ab omni pollutione carnis & ſpiritus, ſeipſos emundantes. Quoniam verò non aliter hoc, quàm per cuſtodiã mandatorum Chriſti, effici poſſe nouerant: Cuſtodiam autem mandatorum, & operationem virtutum difficilẽ in medio mundialium fieri poſſe conſiderabant, aliã quandam vitã peregrinã, & ſibimet inſolitã ducere ſtuduerunt, & ſecundum diuinã vocem, omnia derelinquẽtes, videlicet parẽtes, filios, amicos, cognatos, diuitias atque delicias, & omnia quæ in mundo ſunt odientes, & deſerta quaſi quidam fugitiui adierunt, egeni, anguſtiati, afflicti, quibus dignus

Heb. 11.

Tu qui dicis antiquos Monachos non ea ſeruaſſe, quæ noſtri nunc ſeruant, in victu, veſtitu, conuerſatione, permanentia & alijs religionis inſtitutis, lege totum hoc caput, & videbis quam ſit arrogans mendacium tuum: Pro quo etiam vide D. Baſilium de Conſtitutionibus Monaſticis & in regulis contractioribus, ac de inſtitutionibus Monachorum, Nec non B. Ephrem in tractatu de compunctione cordis.

non erat mundus. In ſolitudinibus errantes, in mōtibus. & in ſpeluncis, & in cauernis terrę. Ab omnibus terrenis delectationibus & refrigerijs ſeipſos elongantes, ipſum etiam victum & veſtitum valde tenuem habentes. Iſta duo negociantes, vt vitarēt materias viciorum, radicitus ipſorū cōcupiſcentias de animo euulſerunt: & eorum delentes memorias, amorem & deſiderium diuinorū & cœleſtium in ſeipſis plantauerunt. Ad hęc etiam per macerationē, carnē ſuam affligentes, & martyres voluntate effecti, ne priuarentur gloria illorū, qui per effuſionem ſanguinis ſui, conſummati ſunt, ſed imitatores & ipſi Chriſti paſſionum, quantum in ipſis eſt effecti, & perennis regni participes. Sic ergo virtutibus adornati, ſolitariā & quietam vitam ducebant.

Alij quidem ſub dio abſque tecto perdurantes, ſolis æſtu & rigoribus frigoris, & imbribus, & turbinibus ventorum affligebantur. Alij verò tuguria figentes, aut ſpeluncis & antris latitantes degebant. Sic ergo virtutem virtutibus cumulantes, omni carnali conſolationi & repauſationi pœnitus abrenunciauerunt, oleribus crudis, & herbis aut glandibus, ſeu pane arido & valde ſicco tranſigebant dietam, non ſolum

Vides hæretice ad quid intenderent antiqui monachi.

lum qualitati delectationũ abrenunciantes, ſed etiã ipſi tenori abſtinentię, ex ſua parte ſemper aliquid addebant. Nã tantũ de ipſis talibus & abiectis ſumebant eſcis, vt ſolũ viuere poſsent. Quidam nanque eorum tota hebdomada ieiuni permanentes, Dominica die cibum ſumebant. Alij bis in hebdomada, huius memoriam habebant. Alij autem poſt dies duos veſpere edebant, tantummodo modicum guſtantes, ora- [illegible] rum vitam imitantes, auri argentique poſſeſsionibus, emptionibus & venditionibus abrenunciantes, inter homines ſe eſſe obliuiſcebantur.

Ecce in Monachis veteribꝰ ciborum delectã.

Vide mirã abſtinentiam, Ieiunia, Orationes & vigilias voluntarias Et vitæ innocentiam in eiſdem.

Inuidia verò atq; ſuperbia, quę maximè bona opera comitari ſolent, in eis locum non habebant. Nam neque qui in conuerſatione minor erat, aduerſus eum qui amplius pollebat, inuidiæ cogitationem vllo modo in ſemetipſum ſuſcipiebat. Nec rurſus magnificè agentem aduerſus infirmiores in ſuperbiam extollebat arrogãtia, vt ſperneret proximũ, aut gloriaretur in ſua ſanctitate, aut magnificè ſaperet in virtutibus. Nã qui plus virtutis habebat, non proprijs laboribꝰ, ſed Dei gratię totũ aſcribebat, in humilitatem deprimẽs ſemetipſum, nihil omnino eſſe reputans quod age-

Luc.17. bat, iuxta quod ait Dominus: Cum feceritis omnia quę præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus: quæ debuimus facere, fecimus. Illi verò nec feciſſe aliquando, quæ pręcepta ſunt, confidebant ſeipſos, ſed plura ſibi deeſſe arbitrabantur, quę fieri oporteret. Et rurſus qui in conuerſatione debilior erat, deſpiciendo ſe miſerum clamitabat, negligentiæ voluntatis, non naturæ infirmitati quod deerat imputans. Sic ergo alius alio & omnes omnibus erant minores. Cauentesq; vel placendi hominibus vitium, quomodo eſſet in illis, qui ideo de mundo fugerant, & deſertũ inhabitabant, ne hominibns, ſed ſoli Deo virtutum ſuorum operatio nota fieret, à quo & bonorum retributiones ſperabant, bene ſcientes, quia quę propter vanam gloriam bona perficiuntur opera, ſine mercede remanent. Nam propter laudem hominum fiunt, & non propter Deum. Vnde & dupliciter huiuſmodi detrimentum patiuntur, corpus quidem macerantes, & mercede carentes. Illi verò ſupernæ gloriæ inhiantes, & hác toto corde deſiderantes, omnem terrenam & humanam laudem ſpreuerunt.

Cur Monachi de mundo fugiſſent.

Habent autem habitacula ſua, alij quidem in omnimodo receſſu & ſolitu

dine

dine agonem percurrentes, elongantes ſeipſas ab hominum commoratione, per totum tempus vitæ ſuæ, & Deo appropinquant. Quidam verò longe ab inuicem cellas habentes, Dominicis diebus ad eccleſiam vnam conueniunt. & diuina myſteria ſumunt (ſacrificiū dicunt intacti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti) quæ fidelibus in remiſsionem peccatorum, illuminationemque & ſanctificationem animæ & corporis Dominus donauit, inſtruentes alterutrum exercitijs diuinorum eloquiorum, & ſolitis adminitionibus occulta colluctatorum bella publicantes, vt nullus ab his detineatur luctandi artem neſciens. Deinde domum vnuſquiſque reuertitur, mel virtutum in fauis cordium diligenter reponentes, & operantes fructum dulciſsimum, & cœleſti menſura digniſsimum. Alij verò cœnobialem ducunt vitam.

Diuina myſteria ſumunt, Sacrificiū ſcilicet intacti Corporis & precioſi Sanguinis Chriſti.

Qui plures in ſimul congregati ſub vno prælato, ab omnibus differentes degunt, omnem voluntatem ſuā obedientię gladio occidētes, & quaſi ſeruos emptitios ſe voluntariè reputantes, nō ſibimetipſis viuunt, ſed cui propter Chriſti amorē ſemetipſos ſubdiderūt. Familiarius autem magis eſt dicere, quia non viuunt ſibi: viuit verò in eis Chriſtus, quem

Monachorum in deſertis conſuetudo.

Vide hic deſcriptū morem viuendi noſtrorū Monachorum.

Monachorum obedientia.

quem ſunt ſecuti, omnia deſerẽtes. Hoc enim eſt mundi ſeceſsio, voluntarium odium, & naturæ negatio, eorum quæ ſupra naturam ſunt deſiderio. Hi ergo quaſi angeli in terra conuerſantur, pſalmis & hymnis vnanimiter Deum laudantes, & confeſſores laboribus obedientiæ, apparent, in quibus & Domini cus ſermo adimpletur. Ait enim: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Non hac menſura in nomine ipſius congregationem circuncludens, ſed per duos vel tres indeterminatum numerum demonſtrat. Siue enim pauci ſiue multi propter nomen ſanctum eius congregentur, ardente ſeruientes ei deſiderio, ibi hunc adeſſe credimus in medio ſeruorum ſuorum.

Cænobitæ Pſalmis et Hymnis vnanimiter Deum laudãt.

Luc. 17.

His exemplis, & talibus conuerſationibus atque ordinibus, terreni & lutei vitam imitati ſunt cæleſtiũ in ieiunijs, & orationibus, & vigilijs, in lachrymis feruentibus, & incõſolabili luctu, in peregrinatione mortis, in manſuetudine & lenitate, in ſilentio labiorũ, in egeſtate & inopia, in caſtitate & prudentia, in

Catalogus virtutũ omnium in antiquis Monachis. In quibus etiã fuerũt, quæ ſunt in noſtris, videlicet Ieiunia, Orationes, vigiliæ, Lachrimæ, Luctus, Mãſuetudo, Silentiũ, Paupertas, Caſtitas, Prudẽtia, Humilitas, & Charitas perfecta.

humili ſenſu & tranquillitate, in charitate perfecta erga Deũ & proximũ, pręſentem pergere vitã, quaſi angeli moribus effecti: Vnde Deus miraculis & ſignis, & varijs virtutib⁹ ipſos exornauit, & ſonũ admirandæ cõuerſationis eorũ, in omnẽ terrã effudit. Et ſi vitã vnius ipſorũ per partes enarrauero, qui & autor fuiſſe monachicæ conuerſationis dicitur, Antonius verò nomen fuit ei, cognoſces vtique ex vna arbore reliquarum, quæ eiuſdem ſunt generis & ſpeciei, dulcedinem fructuum, & quale poſuit ille anachoreſeos fundamentum, qualem etiam ſtructuram ſuperædificauit, & qualia meruit à Saluatore adipiſci chariſmata. Multi verò & alij poſt illum ſimili agone decertantes, ſimilem adepti ſunt coronam gloriæ. *Antonius monaſticæ conuerſationis autor.*

Beati iſti & ter beati, qui Deum amando propter charitatem illius omnia deſpexerunt, fleuerunt, & luctum habuerunt diebus ac noctibus, vt in futuro æternam haberent conſolationem. Humiliauerunt ſeipſos voluntariè, vt illic exaltarentur. Afflixerunt carnes ſuas fame, & ſiti, & vigilijs, vt ibi ſuſciperent eos deliciæ & exultatio paradiſi. Tabernaculum facti ſunt ſpiritus ſancti, in munditia cordis, ſicut ſcriptum eſt: Inhabitabo in eis & inambu-

labo. Crucifixerunt ſemetipſos mũdo, vt à dextris crucifixi ſtent in die iudicij. Præcinxerunt lumbos ſuos in veritate, & paratas ſemper habebant lãpades, immortalis aduentum præſtolantes. Intellectualibus enim mẽtis oculis præuidebant, aſsiduè terribilem horam illam, contemplationeq́; futurorum bonorum & ęterni cruciatus cor eorum repletum ſemper erat: vt perrennem gloriam acquirerẽt, facti ſunt impaſsibiles ſicut angeli, & nnnc cum illis lętantur, quorũ & vitam imitati ſunt. Beati iſti & ter beati, qui oculis interioribns non fallentibus conſiderauerunt præſentium vanitatem, & humanæ actionis inſtabilitatem & lubricitatem, et hãc abnegantes, æterna ſibi theſaurizauerunt bona, & nunquam caſuram, neq; morte amputandam vitam acquiſierunt.

Hos ergo mirabiles & ſanctos viros, & nos deſpicabiles et indigni imitari ſatagimus, nõ quod pertingere valeamus ad altitudinem cœleſtis conuerſationis eorũ, ſed ſecundũ poſſe infirmæ naturę & miſeræ, virtutis vitã eorũ figuram, & habitu eorũ operti ſumus, quamuis operibus nõ impleamus. Nam iſta diuina promiſsio, à peccandi voluntate nos retrahit, & ad incorruptionẽ, quę nobis in diuino myſterio baptiſmate data eſt,

Et habitu eorũ operti ſimus, Hoc dicit, quia certus etiã illo tempore erat Monachorum habitus.

nos

nos abſtringit. Vnde ſermones beatorum illorũ ſequẽtes, valde abhorremus corruptibilia hæc & mortalia vitæ negotia, in quibus nihil poteſt inueniri firmum, neq; planũ ſtabile in ſeipſis, ſed vanitas ſunt omnia & afflictio ſpiritus, multas in pũcto ferẽtia trãſmutatiões. Somno enim & vmbra, & aura per aërẽ flante ſunt fragiliora, minimaque ineſt eis gratia, & neq; gratia, ſed error quidẽ & ſeductio, malitię mundi, quę nõ diligere, ſed potius odire, ex cordeprecipimur. Et eſt ſecundũ veritatem odibilis iſte mũdus & abominabilis. Nam quãtacunq; donat amicis ſuis, cũ ira denuò diripit ea, nudatosq́; omni bono, & confuſione indutos, omnibusque grauibus pręgrauatos, æternę tranſmittit tribulationi. Quos modò exaltat, ſubitò vltima miſeria humiliat, ſubdẽs eos pedibus omnium inimicorũ ſuorũ. Tales ergo gratiæ ipſius, talia ſunt & dona. Inimicus enim eſt amicorũ ſuorum, & hoſtis omniũ, qui faciunt eius voluntatẽ. Diſcerpit crudeliter incumbentes ſuper ſe, eneruat illos qui confidũt in eo. Fœdus poſuit cum inſipientibus, & promiſſiones falſas eis pollicitus eſt, ad hoc tantum, vt trahat eos ad ſe.

Eccle. 1.

Fortunæ inſtabilitas.

Illis ſibi acquieſcentibus ingratus ipſe & fallax demonſtratur, nihil eorum

conplendo, quę promiſerat. Hodie nan que epularum delectationibus, eorum gulam illicit, deuorandos inimicis, cras eos totos proijcit. Hodie regem aliquē conſtituit, & cras ſeruitutis iugo ſupponit. Hodie multis affluentē bonis, cras mendicantem reddit. Hodie coronam gloriæ eius vertice imponit, ſed vultum illius cras in terram deprimit. Hodie exornat collum illius ſplendidis gemmis, dignitatum torquibus, cras humiliat ferreis vinctum compēdibus. Amabilem hunc ad modicum omnibus facit, odibilem verò paulo pòſt facit & abominabilem. Hodiè lætificat, & cras lamentis eum & fletibus afficit. Qualem verò et his finem imponit, audi. Habitatores gehennæ, dilectores ſuos perficit miſerrimè. Talem habet intentionem ſemper, taleq́ue propoſitum. Neque recedentes hinc lamentatur, neque remanentiuu miſeretur. Illos enim malè ſeduxit & retibus concluſit, ad iſtos verò rurſus artem ſuam tranſferre conatur, nolens aliquem ſuos ſæuos effugere laqueos.

Itaque qui tali ſeruiunt duro & maligno domino, ac à bono & benigno, mente perdita ſemetipſos elongant, & præſentibus inhiant negocijs, & ijs tenentur aſtricti, & nullam futurorū habent

bent memoriam, ſed delectationes corporales inceſſanter deſiderant: animas verò ſuas dimittẽtes fame tabeſcere, & innumerabilibus affici malis, ſimiles eſſe arbitror homini fugienti à facie furentis vnicornis, qui non ferens ſonũ vocis illius, & terribilium mugituum, fortiter fugiebat, ne deuoraretur ab eo. Dum ergo velociter curreret, in magnũ quoddam decidit barathrum Dum autem caderet, manibus extenſis arbuſculam quandã apprẹhendit, & fortiter tenuit, & in baſi quadam pedibus impreſſis, viſum eſt ſibi in pace de reliquo fore & ſtabilitate. Reſpiciens ergo vidit duos mures, album quidem vnum, alterum verò nigrũ, corrodẽtes inceſſanter radicẽ arbuſculæ, quã apprẹhenderat, et iam propè erat vt eã abſcinderent. Conſiderans etiã ipſius barathri fundum, vidit draconem aſpectu terribilẽ, ignem ſpirantem, & feralibus oculis aſpicientẽ osq́ue terribiliter aperire, & deuorare eum cupientẽ. Intuens verò rurſus baſem illam, ſuper quã pedes habebat firmatos, cõtemplatus eſt quatuor aſpidũ capita de pariete prodeuntia vbi conſiſtebat. Eleuans autẽ ſurſum oculos, vidit de ramis arbuſculæ illius exiguum mel diſtillans. Dimittẽs ergo cõſiderare quæ circundederunt eum mala, ſcilicet

quomodo ſurſum quidem vnicornis horribiliter inſaniens quærebat hùnc deuorare: deorſum verò amariſsimus draco inhiabat deglutire eũ. Arbuſcula verò quam apprehẽderat, poſt modicũ erat excidenda, pedes ſuper lubricam & infidelem baſem ſtatuerat. Et tantorum ac talium malorũ oblitus, ſeipſum dulcedini modici illius mellis tradidit.

Hæc ſimilitudo eſt eorum, qui ſeductioni præſentis ſeculi adhæſerunt, Cuius expoſitionem mox dicam tibi: Vnicornis quidem figuram tenet mortis, quæ ſemper perſequitur, & comprehendere deſiderat genus humanum. Barathrum verò mundus eſt iſte, plenus omnibus malis & mortiferis laqueis. Arbuſcula autem quæ à duobus muribus inceſſanter incidebatur, quam appræhendimus, vitæ vniuſcuiuſq; noſtrum menſura eſt, quę cõſumitur & diminuitur per horas diei & noctis, & inciſioni paulatim appropiat. Quatuor verò aſpides, de quatuor fragilibus & inſtabilibus elementis, conſtitutionem humani corporis ſignificant. Quibus inordinatis & cõturbatis, compago diſſoluitur. Cum his & igneus ille atque crudeliſsimus draco, terribilem figurat ventrẽ inferni, cupiens ſuſcipere eos qui præſentes delectationes futuris pręponunt bonis.

nis. Scilla verò mellis, dulcedinem ſigni ficat delectationum mundi, per quam ſeductor ille ſuos amicos nõ ſinit propriam videre ſalutem.

Diuitiarum fluxã & infidã eſſe poſſeſsionẽ neq; coniugi aut cognatis nimis fidendũ, ſolam vero animi virtutẽ in rebus aduerſis vnicum eſſe ſolatiũ, tutiſsimumq́; portum, apta ſimilitudine oſtenditur.

CAPVT XIII.

HAc ergo Ioſaphat valde libẽter ſuſcepta parabola, ait: Quã verus eſt iſte ſermo, & quã bene coaptatus. Ne quęſo pigriteris tales ſemper mihi typos ſubrogare, vt ſciã diligenter qualis eſt pręſens vita noſtra, & quorũ amicis ſuis autor malorũ ſit. Senex verò dixit. rurſus ſimiles ſunt amatores ſeculariũ delectationũ, & qui harũ dulcedine illiciũtur, atq; futuris et ſtabilibus fluida et fragilia præferunt, homini qui tres amicos habuit, quorum quidem duos præcordialiter & affectusè honorabat, ac vehementer eorum charitate afficiebatur, vſque ad mortem pro ipſis agonizans, & periclitari deſiderans. Aduerſus tertium verò multo ferebatur deſpectu, neque honore, neque decenti eum aliquãdo gratificans dilectione, niſi modicam quandã & exiguam ad eũ ſimulans

lansamicitiam. Venerunt ergo die quadam terribiles quidam ac præcipui milites, feſtinantes celeritate multa hunc ad imperatorem ducere, rationem redditurum pro debito decem millium talentorum. Coartatus verò ille, quærebat adiutorem ad ſubueniendum ſibi, in terribili rationis poſitione apud regem. Currens igitur ad primum ſuum, & præ omnibus alijs chariſsimum amicum, dicit ei: Noſti ô amice, quomodo animam meã ſemper pro te poſui: nunc autem indigeo auxilio tuo in die iſta, detinente me neceſsitate. Quomodo ergo promittis mihi nunc auxiliari? Et quæ apud te repoſita mihi ſpes eſt dilectiſsime? Reſpondens ergo ille, ait: Non ſum amicus tuus ô homo, neque ſcio quis ſis. Habeo enim alios amicos, cum quibus oportet me hodie lætari, & amicos iſtos amodo poſsidebo. Præbeo tantum ecce tibi ciliciola duo, vt habeas ea in via, qua ambulas: quæ tamen nihil tibi proderunt, & nullam ſpem à me preſtoleris. Hęc audiens ille, & diffidens de auxilio quod ſperauerat ab eo, ad ſecundum perrexit amicum. Cui & ait: Recordare amice, quantum à me recepiſti honoris & gratiæ. Hodie verò in tribulationem corruens & aduerſitatem maximam, auxiliatore

opus

opus habeo. Quantum igitur vales mihi ſubuenire nunc, indica mihi. Ille verò ait: Non vacat mihi hodie, vt tecum ſubeam agonem. Curis enim & ſolicitudinibus circundor, & in tribulatione ſum. Modicum tamen tecum pergam, quamuis non ſit tibi profuturum, & ſtatim domum reuerſus, proprijs vacabo negocijs.

Vacuis ergo manibus homo inde reuerſus, & vndique deſtitutus, lamentabatur ſeipſum de vana ſpe ingratorum ſuorum amicorum, & de inutilibus laboribus, quos pro illorum ſuſtinuit dilectione. Pergit etiam ad tertiũ amicum, de quo nunquam curam habuit, nec ſocium lætitiæ ſuę aduocauit. Et ait ad eum, confuſo & in terram vultu demiſſo: Non habeo os loquendi ad te. Cognoſco enim diligenter quod nunquã tibi bene feci, nec amicabiliter erga te me habui. Sed quoniam aduerſitas me apprehendit dirisſima, & nullam ſpem ſalutis in cæteris meis amicis reperi, veni ad te rogans, ſi eſt tibi poſſibile, quodlibet auxilium vel modicum impendere, ne tardes, memor ignorantiæ meæ. Tunc ille reſpondit ei hilari & ſereno vultu: Certe amicũ meum chariſsimum cõfiteor te eſſe, & modici illius beneficij tui non immemor, cum

vſuris retribuam tibi. Ne timeas ergo, neque formides. Ego enim præcedam te. Ego interueniam pro te apud regem, & non tradam te in manus inimicorũ tuorum. Confide ergo dilectiſsime, & ne triſteris. Tunc compunctus ille dicebat cũ lachrymis: Heu mihi quid prius lamentabor, aut quid potius plangam? Vanum affectum meum repræhendam, quẽ ingratis illis & falſis exhibui amicis: an amentiam meam plangam, quod huic vero & germano amico nullam oſtendi familiaritatem?

Ioſaphat autem & iſtum cum admiratione ſermonẽ ſuſcipiẽs, expoſitionẽ requirebat. Tunc ait Barlaam: Primus amicus vtique eſt diuitiarum poſſeſsio & amor pecuniarum, pro quibus homo multis ſubiacet periculis, & plurimas ſuſtinet miſerias: veniente verò vltimo mortis termino, nihil ex omnibus illis, niſi qui ad ſepulturam pertinent inutiles accipit panniculos. Secundns autem amicus vocatur vxor, & filij & cognati, & ceteri amici, quorum affectui adhęrentes inſeparabiliter tenemur, ipſam animam & corpus, propter illorum ſpernentes amorẽ, Sed nullam aliquis ex eis vtilitatem conſequitur in hora mortis, niſi quod tantummodo vſq; ad monumentum ſecum pergunt. Deinde

mox

mox reuertentes, ſuis vacant curis ac ſolicitudinibus, non minus obliuione memoriam, quã corpus aliquando amici operientes ſepulchro. Amicus verò tertius deſpectus & grauis, non familiaris, ſed exoſus & quaſi aduerſus, iuſtorum operum chorus eſt, videlicet ſpes, charitas, fides, eleemoſyna, humanitas, & cætera virtutum congregatio, quæ poteſt præcedere nos cum eximus de corpore, & pro nobis apud Deum interuenire & de inimicis crudelibus exacto liberare qui calumniam & amarã rationis exactione nobis cōmouent, in aëre nos cōprehendere tẽtantes. Ite eſt gratus amicus & bonus, qui & modicũ bonum opus noſtrũ in memoria fert, & cũ vſura nobis integrũ reſtituit.

Nota, bona Opera fideliſsimũ eſſe amicũ, qui nec poſt morte nos deſerit.

Barlaam fluida huius mũdi bona et inſtabilem vanitatẽ Ioſaphato vbi demonſtraſſet, ſuo illum exemplo ad opũ contemtum pertrahere conatur, atq; vt ad futuram ſibi vitam proſpitiat exhortatur, illuc pecuniam tranſmittendo.

CAPVT XIIII.

Rurſus ergo Ioſaphat ait: Bene ſit tibi à domino Deo tuo ô ſapientiſsime hominum. Lætificaſti nanq; animã meam congruis ac dignis ſermonibus tuis. Rogo etiam te, vt depingas mihi ima-

imaginem vanitatis mundi, & quomodo eum aliquis liberè, ac ſine impedimento tranſire valeat.

Aſſumpto verò ſermone Barlaam, ait: Ciuitatem quandam didici fuiſſe magnam, cuius ciues talem habebant conſuetudiuem antiquitus, vt aſſumerent extraneum aliquem & ignotum virum, nihil legem ciuitatis ſuæ & traditionum penitus ſcientem, & hunc ſibi regem conſtituebant. Qui omnem poteſtatem accipiebat, & ſuarum voluntatem perficiendarum facultatem habebat, vſque ad completionē vnius anni. Deinde in omni ſecuritate eo permanente, delicijsq́ue ac ſuauitatibus ſine vlla formidine, & ſecum ſemper permanſurum regnum exiſtimante, repentè ſurgentes ciues illi contra eum, regali ablata ſtola, nudum per totam trahentes ciuitatem, exulem tranſmittebāt in magnam ac longius remotam inſulam. In qua neq; cibum inueniēs, neque veſtimentum, in fame ac nuditate malè atterebatur, preter ſpem conceſsis ſibi delicijs & gaudio, in triſtitia rurſus preter ſpem omnem, & expectationem tranſmutatus.

Interea iuxta morem conſuetudinum ciuium illorum, ordinatus eſt quidam vir in regno, qui non exiguo men

tis intellectu vigebat. Qui tanta ac tali ex improuiſo accidente ſibi abundántia, mox non eſt diſſolutus, nec ab ea raptus, neque eorum, qui ante eum regnauerunt, & miſerrimè eiecti fuerunt, incuriam ſecutus eſt, ſed ſolicitudinem gerebat, & laborabat animo, quomodo ſe, & ſua bene diſponeret. Dum ergo aſsidua meditatione diligentius iſta pertractaret, cognouit per quendam ſapientiſsimum conſiliarium ſuum, conſuetudinem ciuium, & locum perennis exilij: & quomodo oporteret ſemetipſum cuſtodire ſine errore, edoctus eſt. Hoc ergo vt agnouit, & quia oporteret eum prius paululũ ad illã applicare inſulam, hoc quoque caducum regnũm & peregrinum alienigenis rurſus derelinquere: apertis theſauris ſuis, quorum tunc liberam habebat facultatem, & de illis quod vellet facere, accepit pecuniarum multitudinem: auri videlicet & argenti, & lapidum precioſorum amplisſimum pondus, & fideliſsimis committens famulis, in illam præmiſit, ad quam ducendus erat inſulam: Peracto igitur anni termino, in ſeditionem verſi ciues, nudum (ſicut & illos qui ante eum fuerunt) in exilium tranſmiſerunt. Tunc cæteri ſtulti & temporales reges malè fame cruciabantur. Ille

verò

verò qui diuitias antè ibi depoſuerat, in abundantia perpetua viuens, & delicias infinitas habens, timoreq́; prorſus incuſſo, infidelibus & malignis ciuibus, ſapiẽtiſsimo ſeipſum beatificat cõſilio.

Ciuitatem ergo intellige, vanum iſtum & deceptorem mundum. Ciues autem, principes & poteſtates dæmonum: mundi rectores tenebrarum ſeculi huius, qui illiciunt nos dulcedine voluptatum, & ſuggerunt vt corruptibilia & mortalia, ceu immortalia, & ſemper nobiſcum manſura conſideremus. Sic ergo nobis ſeductis, & nullam ſolicitudinem de ſtabilibus & æternis gerentibus, neque nobis ipſis aliquid in illa vita recondentibus, repentè nobis imminet perditio mortis. Tunc iam nudos nos, hinc maligni & amari ſuſcipientes tenebrarum ciues, cum quibus totum expendimus tempus, ducunt nos in terram tenebroſam & caliginoſam, in terram tenebrarum æternarum, vbi non eſt lux, nec vita hominũ. Conſiliarium autem bonũ, qui omnia vera fecit nota, & ſalutaria edocuit ſtudia ſapientem & prudentem regem, meam æſtima paruitatem, qui bonam & rectam vitam veni demõſtrare tibi, introducens te in æterna & infinita bona, ibiq́; te, omnia conſulens reponere, abſtra-

abſtractum ab errore mundi huius, quem & ego aliquando infeliciter diligebam: & ipſius delectationibus detinebar atq; iucunditatibus, donec veracibus mẽtis oculis conſideraui, quomodo in iſtis, omnis hominum vita atteritur, alijs quidem venientibus, alijs verò diſcedentibus, & nullis firmum ſtatũ habentibus, neque diuitibus in diuitijs, neque potentibus in potentia, neq; qui proſperantur in proſperitate ſua, neque qui delicijs affluunt in iucunditate ſua, neq; putantibus firmiter ſe viuere in vana ſua & infirma ſtabilitate, neq; in aliquo alio eorum, quæ laudantur in hac vita, ſed omnia ſimilia ſunt torrenti impetu magno in profundum maris ruenti. Fluida namque ſic ſunt omnia præſentia & temporala.

Hinc intellexi, quia vniuerſa iſta vana, & in quibus vtilitas eſt nulla, ſic obliuioni traduntur perpetuæ, & abſentantur, ſiue gloriam dicas, ſiue regnum, ſiue ſplendorem dignitatum, ſiue potentatuum magnitudinem, ſiue tyrannorum crudelitatem, ſiue quidlibet talium, in futuris temporibus obtinebuntur. Ex quibus cum & ego vnus ſim, conſuetæ nimirum mutationi ſubiaceo: & quemadmodum mei prædeceſſores iucundari præſentibus non omiſerunt,

ſerunt, ita erit & in me. Noui enim qualirer homines tyrannus iſte ac turbulentus agitat mundus. Hinc inde eos transferens, hos quidem de diuitijs ad inopiam, illos verò de paupertate ad gloriam, quoſdam quidem ſubtrahens vitæ: alios verò rurſus inducens, nonnullos quidem ſapientes & prudentes reprobans, quoſdam contumelioſos ſcilicet & exiguos, honorabiles ſplendidos faciens. Alios etiam inſipientes et fatuos in ſede collocans gloriæ, honorabilesq́; ignominioſos & obſcuros demonſtrans omnibus.

Et eſt videndum, quomodo genus hominum nequaquam ante faciem ipſius tyrannidis crudelis habet ſtatum, ſed eſt ſicut columba, quæ fugiens aquilā vel accipitrem, mutat ſe de loco ad locum, nunc quidem huic inſidens arbori: vnde rurſus mota, immergit ſe vepribus, deinde ſtatim cauernis petrarum, & diuerſis ſpinarum denſitatibus ſemetipſam committens, nuſquam tutum inueniens refugiū, in motu & defectione tribulatur aſsidua: ſic ſunt qui præſentia perdere metuētes, & ſub impetu quidem irrationabili miſerrimè laborantes, nihilq́ue penitus tutum vel firmum tenentes, neque ſcientes ad qualem peruenturi ſunt finem, & quod

eos vana deſeret vita, cui ſubdiderunt ſemetipſos valde infeliciter, & miſerrimè. Mala enim pro bonis appetunt, pro bonitate maliciam exercentes: & ignorant quis frigidos multorum & grauium ſuorum laborum ſuſcepturus ſit fructus, ſiue domeſticus, ſiue alienus, & multoties neque amicus omnino, vel notus, ſed hoſtis & inimicus.

Hæc omnia & his ſimilia dijudicans in prætorio cordis mei, odiui præſentem vitam, quę in vanitatibus tota con ſumitur, quā olim & ego deducebam, terrenis laboribus addictus. Abjiciente verò me de animo meo horum affectū, & longius proijciente, apparuerunt mihi ea, quæ veraciter ſunt bona, id eſt, Deum timere, & facere eius voluntatē. Hoc enim cognoui cunctorum bonorum caput eſſe, hoc et initium ſapientię dicitur, & etiam perfecta ſapientia. Nā vita eſt ſine triſtitia, & ſine tentatione ſecura atq; quieta, & incumbentibus ſuper ſe, quaſi ſuper rectiſsimā viā man datorū Domini, & agnoſcēs ſubtiliter, nihil ei tortuoſum, aut anfractuoſum eſſe, neq; defoſſum, vel arduum, ſed ſpi nis & tribulis carentē, & totam facilem penitus, & gratam atque planam, delectantem quidem oculos ambulantium per eam, ſplendidiſsimis cōtemplatio- *Prouer. 1.*

nibus ſpatioſos exhibens pedes, & calcians in præparatione euangelij pacis, vt ſecurè & expeditè gradiantur.

Quam omnibus meritò præpoſui, et & ædificare cœpi deiectam animæ meę & corruptã domũ. Sic ergo me ea, quæ apud me erant diſponẽte, & defectum mentis corrigente, verba audiui cuiuſdam doctoris ſapientis, talia mihi præcipientis: Exite (inquit) qui ſaluari deſideratis, ſeparate vos. à vanitate mundi: præterit enim figura eius. Quantulumcunq; & ecce nõ erit. Exite indeclinabiliter, non ſine dotę & mercede, ſed expenſas ferentes æternæ vitæ. Longinquã enim ituri eſtis viã, multarũ expenſarum cenſu, opus habentẽ, & peruenientis ad ęternũ locum, duas habentẽ regiones, quę multas in ſe manſiones habẽt. Quarum quidẽ vnam præparauit Deus his qui diligunt eum, & eius mandata cuſtodiunt, omnibus bonis plenã. Quã promerentes, in incorruptione victuri ſunt durabili atq; perpetua, perennem accepturi immortalitatem, vbi aufugit dolor, & triſtitia, & gemitus. Secunda verò regio plena eſt tenebris atque tribulationibus, & doloribus, quę pręparata eſt diabolo & angelis eius: in quam mittẽtur & illi, qui per opera mala hãc ſibimet acquiſiuerunt, & qui incorru-

ptibi-

ptibilia & æterna pro præſentibus cõmutauerunt, & ſe totos cibum ignis æterni fecerunt.

Hanc ergo vocem audiens, & veritatem illius recognoſcens, ad illam peruenire habitationem ſtudui, quæ ab omni quidẽ dolore & triſtitia libera eſt, tanta ſecuritate, talibusq; bonis repleta. Quorum ſcientia nunc quidem ex parte in me eſt, adhuc ætate ſpirituali paruulo, & quaſi per ſpeculum, & in ęnigmate quæ ibi ſunt vidente: cùm autem venerit quod perfectum eſt, & cognoſcam facie ad faciem, tunc quod ex parte eſt deſtruetur. Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Nam lex ſpiritus vitæ, in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis, et aperuit oculos meos, vt abſq; errore viderent: quia prudentia carnis mors eſt, prudentia verò ſpiritus, vita & pax. Igitur ſicut ego prudentiũ recognoſcens vanitatem, ea perfectò odiui odio, ſic et te recognoſcere & odire fideliter moneo: vt quaſi aliena & mox deſitura reputes ea, & auferens hinc omnia, theſaurizes, tibi[illegible]etipſi in ſeculo incorruptibili theſaurum ſecurum, diuitiasque indeficientes, quò te procũldubio opórteret proficiſci: vt cũ perueneris, non ſis egenus, ſed diuitijs plenus, ſicut horũ tibi

ſimillimam ſuprà depinxi imaginem.
Dixit Ioſaphat ſeni:

Eleemoſynæ virtus, quâ nobis in cœlo theſaurus paratur, conſulitur, atque apertè oſtenditur olim viros ſanctos ſuarum rerum abdicationem fuiſſe amplexatos, tametſi plerique mortalium inanis gloriæ & impuræ voluptatis errore decepti, per diuerſam viam graſſari maluerunt.

CAPVT XV.

QVomodo ergo poſſum theſauros pecuniarum & diuitiarum illuc præmittere, vt ſecuram ipſorũ & incorruptibilem iucunditatem abiens reperiam, & qualiter demonſtrem aduerſus præſentia odium meum, & amorem æternorum, planè quæſo inſinua mihi. Et ait Barlaam: Diuitiarum quidem ad æternum locum præmiſsio, manibus fit egenorum. Ait enim quidam prophetarum, Daniel ſapientiſsimus, regi Babylonis: Propterea ô rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſerationibus egenorum. Dicit autem & Saluator: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et longum ſuperius ſeruis ſermonem Dominus de eleemoſyna & largitione pauperum facit, ſicuti in euangelio

uangelio didicimus. Sic ergo tutiſsimè vade, præmittens illuc omnia egenorum manibus. Quanta enim his feceris, ſibi Dominus attribuens, multiplicius tibi reſtituet. Vincit enim ſemper donorum retributionibus, diligentes ſe. Hoc ergo modo nunc theſauros ſeculi iſtius, quaſi diripiendo à Domino ſuo, cui & tu miſerrimè ſeruiſti, benè ex his in futuro ſumptum tibi reponens, & ab alieno auferens, tibi cuncta recondes, & per fluida iſta & temporalia, ſtabilia atq; manentia comparabis. Deinde Deo tibi cooperãte, peruidebis inſtabilitatem ac prauitatem mundi, & valedicens omnibus, ad futura cum affectu multo tranſuolabis: prętergrediens quidem tranſeuntia, ſperandis verò ac ſtabilibus inhærens, & deſerens tenebras cũ vmbra mortis. Odiens verò mundum, & mundi rectorem, & corruptibilem carnem, inimicitiam tibi reputans, currens ad lumen inacceſsibile, & crucem ſuper humeros tollẽs, ſequeris eum indeclinabiliter, vt & cum ipſo glorificeris, & æternæ vitæ hæres oſtendaris.

Ioſaphat verò ait: Cuncta ergo deſpicere, & iſtam laborioſam aſſumere vitam (ſicut dixiſti ſuperius) traditio eſt antiqua, ab apoſtolorum deſcendẽs doctrina: an modò nouiter vobis ſic viſum

eſt, mentis veſtræ ſcientia quaſi melius eligentibus iſtud? Reſpondens ſenex, ait: Non legem recenter introductam doceo te (abſit hoc à me) ſed ab antiquo nobis traditã. Dixit, enim Deus cuidam diuiti, qui interrogauit eum, quid faciendo, vitam æternam poſsideret, & glorianti omnia ſe cuſtodiſſe, quæ ſcripta erant in lege: Vnum (inquit) tibi deeſt. Vade, & quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni ſequere me, tollendo crucem. Ille verò hoc audiens, triſtis effectus eſt. Erat enim diues valde. Videns eum contriſtatum Dominus, dixit: Quàm difficile qui pecunias habẽt, intrabunt in regnum cœlorum. Facilius enim eſt, camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Hoc ergo mandatum cuncti audierunt ſancti, & ſeparari ab omni tali diuitiarũ difficultate ſtuduerunt, cuncta ſua diſpergentes in pauperum erogationem, & diuitias ſibi æternas reponẽtes, tulerunt crucem, & ſecuti ſunt Chriſtum. Alij quidẽ martyrio, ſicut iam dixi tibi, conſummati ſunt. Alij verò eremiticè agonizantes & nihil eorum quę ad conuerſationem huius veracis philoſophiæ pertinent, omiſerunt. Mandatum igitur hoc eſſe noueris

Nota tu, qui dicis Euangeliũ non conſulere propriarũ rerũ abdicationem, Sed hanc eſſe humanam traditionem, & vide in quanto errore verſeris Cum dicatur hic omnes Sanctos qui ad perfectionẽ vitæ contendere voluerunt, hoc Domini mandatum ad literam ſeruaſſe.

noueris Chriſti, regis noſtri & dei, quod nos ab amore temporalium retrahit, & æternorum participes efficit.

Cùm igitur, inquit Ioſaphat, ſic antiqua & neceſſaria huiuſmodi ſit philo ſophia, cur non hodie hanc multi ſequuntur? Senex verò ait: Multi quidem imitati ſunt, & imitantur: plurimi verò pigri remanent, & negligẽtes. Pauci enim ſunt (ſicut ait Dominus) qui ſtrictam & arctã pergant viam, amplam verò & latam plures. Qui enim ſemel ab auaritia & voluptate malorũ capiũtur, inani & vanæ dediti gloriæ, inextricrabiliter ipſis aſtricti remanent, & quaſi ſeruos ſemetipſos voluntariè venundãtes alieno domino, & ex aduerſo ſtantes iſta præcipienti Deo, & vincti ab eo tenentur. Anima enim quę ſemel de ſua ſalute deſperat, habenasq̃ue ſuas irrationabilibus laxat cupiditatibus, vbique fertur. Propterea deflens propheta circumfuſam ſtultitiã huiuſmodi animabus, & adiacentis eius caliginis craſsitu dinem deflens, dicebat: Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quęritis mendaciũ? Ita et quidam noſtrorum ſapientium & doctorum rationabilis vir & continens, et quędã à ſeipſo adijciẽs, clamabat omnibus, velut de euidenti & altiſsima ſpe-

cula: Filij hominum vſq; quo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? magnum quid vitam iſtam & delicias, atq; modicā gloriam & humilem potentiam, & falſam proſperitatem arbitrantes. Quę non eorum ſunt quæ videntur, vel putant ſe habere illa, ſed ſicut puluis agitantur, & ad alios ventilata, traijciuntur: aut ſicut fumus, defluentia, & ſomnia illudentia, et velut vmbra inania, neque abſentia deſperata non habentibus, neque præſentia defluentia poſsidentibus.

Si verò Saluatore mandante, prophetis etiam & apoſtolis prædicantibus, ac ſanctis omnibus opere & ſermone ad virtutis viam rectiſsimam vos exhortantibus: etſi pauci per hanc gradiũtur, cum plures ſpatioſam, & quæ ad perditionem ducit eligant, nonne ex his conuerſatio, diuinæ huius adnihilatur ſapientiæ? Nam ſicut ſol ad illuminationem omnibus ortus, ſine inuidia porrigit ſuos radios, cunctoſque illuminari permittit: ita & vera ſapientia ſui appetitores more ſolis illuminat et illuſtrat, & ſplendidos oſtendit. Si quidam claudentes oculos, videre eius fulgorem nolunt, non idcirco reprehendendus eſt ſol, vel à cæteris deſpiciendus, aut gloria ſui ſplendoris per illorũ inhonorabitur

bitur ſtultitiam: ſed illi potius ſeipſos lumine eius priuantes, quaſi cæci palpabunt parietem, & in multis cadent foueis, pluribusq́; lacerabuntur facies eorum ſpinis. Et quemadmodum ſol in ſuo ſplendore permanens, illuminat reuelata facie fulgorem ſuum ſpeculantes: eodem modo & lux Chriſti ſplendet quidem omnibus, ditiſsimè largiēs eis ſuam claritatem. Participat verò vnuſquiſque iuxta quod deſiderat & appetit. Neque enim deeſt alicui volentium ſe intueri Sol iuſtitiæ, neque tamen cogit ſponte ſuas tenebras eligentes, ſed proprio vnuſquiſque relinquitur arbitrio & prælectioni, quamdiu in hoc ſeculo eſt.

Ioſaphat autem ſciſcitante, quid eſt liberum arbitrium, & quid prælectio, reſpondit ſenex: Liberum quidem arbitrium eſt animæ rationalis voluntas, ſine prohibitione cuiuſquam mota ad quodcunque voluerit, ſiue ad bonum, ſiue ad malum, ſic ab autore cōceſſum. Rurſus liberum arbitrium eſt intellectualis animæ motus ſui iuris. Prælectio eſt conſultum deſiderium eorum, quæ in nobis ſunt, aut conſilium deſiderabile. Quod enim preiudicatum eſt, ex conſilio tenemus eligentes. Conſilium verò eſt deſiderium, perquirens de his

Liberum arbitrium.

Prælectio.

Conſilium.

quæ à nobis ſunt facienda. Conſiliatur enim quis, ſi debeat rem peragere, vel non, deinde iudicat quod melius eſt, & vocatur iudicium. Exinde appetit & amat quod ex conſilio iudicatum eſt, & dicitur deliberatio. Si enim iudicat, & non affectat quod iudicatum eſt, id eſt, non diligit illud, non dicitur deliberatio. Deinde poſt diſpoſitionē fit præ- *Deliberatio.* electio. Nam præelectio eſt duorum propoſitorum vnum eligere prę altero. Et hoc manifeſtum eſt, quod conſiliũ eſt poſt iudicium vel præelectionem, et ex ipſa etymologia: Præelectũ quippe, eſt vnum præ altero electum. Nullus verò aliquid ante iudicat, quàm videat, neque præelegit, niſi antè iudicet. Non enim omnia quæ videntûr nobis, ad effectum deducere cogitamus. Tunc præelectio & præelectum fit, quando quod antè iudicatum eſt ex conſilio, accipit appetitum.

Et ſic colligitur, præelectionem eſſe deſiderium conſultum eorum, quæ nobis ſunt. Nam quod ante iudicatum eſt ex conſilio, deſideramus præeligentes. Omne enim conſilium fit propter illud quod agendũ eſt: & ſic ante omnē præelectionem conſilium eſt, ante verò omnem actionem, præelectio. Idcirco non ſolum actiones, ſed & ea quæ ſecundũ

inten-

intentionem prælectiones exhibent, & corone & tormenti iure cauſa fiunt. Principiũ enim peccati & iuſtę actionis prælectio eſt ex his, quæ à nobis ſunt inducta. Quorũ enim in nobis affectus ſunt, horum & actiones: in nobis verò ſecundum virtutẽ operationes ſunt, in nobis vtiq; & virtutes. Propriè nanque in nobis ſunt animata omnia, & ea de quibus conſiliamur. Sic per liberũ arbitrium conſiderantibus hominibus, & ipſum idẽ præeligentibus, quanto quis præeligit, tanto participatur diuini luminis, & proficit in philoſophię ſtudijs. Differentiæ enim prælectionum, ſunt velut quidam fontes aquarum, de venis terræ ſcaturientiũ. Alij quidẽ in ſuperficie terræ oriuntur, quidam verò paulo profundius, nonnulli antem profundiſsimè. Harum quippe aquarum nonnullæ quidẽ indeſinenter fluunt, & guſtu dulces ſunt: quædam verò de profundo prodeunt, & amaræ ſunt, aut ſulphureæ. Alię autem largiter fluentes, aliæ verò diſtillant modicè: ſic & in prælectionibus intellige, alias quidem veloces eſſe & valde feruentes, quaſdam verò torpentes & frigidas: & alias quidem ad bona iter habentes, nonnullas verò ad contrarium omni virtute declinantes. Ergo iuxta affectum earum

& actiones, ſequuntur impetus.

Cum Ioſaphat de patris ſui eſſet ſalute ſolicitus, bonam illi Barlaam ſpem facit eum aliquando ad mentem meliorem ad ducendum. Deinde eleganter & ſcitè declarat chriſtianam religionem prima ſpecie rem eſſe inamœnam, ſed ſi intimius perſpiciatur, propriusque cognoſcatur, nihil ea eſſe locupletius, nihil amabilius.

CAPVT XVI.

TVnc Ioſaphat ait ſeni: Sunt ergo & alij, qui ea quæ tu prædicas, prędicent, aut ſolus es tu hodie, qui iſta doces, & ſic odibilem præſentem vitam aſtruis?

Reſpondens autem Barlaam, dixit: In veſtra infelicisſima regione iſta neminem eſſe cognoſco. Nam patris cui tyrannita crudelitas innumerabilibus hos mortibus tradidit, & ſategit ne penitus audiatur in vobis diuinæ notitiæ prædicatio : in cæteris verò omnibus linguis cantantur iſta, & glorificantur. Alijs quidem rectisſimo ſermone, alijs verò diſtorto, hoſte noſtrarum animarum declinare eos à rectitudine faciente, & alienis monente glorijs, & dicta quædam ſcripturarum aliter, & non ſecundum congruum ſenſum interpretari docente. Vna autem veritas eſt glori-
oſis

oſis apoſtolis & deiferis patribus, & in catholica eccleſia à finibus vſque ad fines orbis, ſole ſplendidius coruſcans, cuius ego prædicator & doctor miſſus ſum tibi.

Vna autem veritas eſt in tota Eccleſia & per vniuerſum mundum glorioſis Apoſtolis & Deiferis patribus coruſcãs Non ergo apud Lutheranos, Zuinglianos, Oecolampadianos, & cætera huiuſmodi humanæ naturæ monſtra.

Dixit autem Ioſaphat ad eum: Nunquid non aliquid ex his meus aliquando didicit pater? Et ait ſenex: Subtilius & conuenienter nihil didicit. Clauſis enim mentis ſenſibus, bonum non vult ſuſcipere, ad malum verò præcipiti ruit impetu. Sed vellem (inquit Ioſaphat) etiam illum iſta didiciſſe.

Ait verò ſenex: Apud hominem impoſsibilia ſunt iſta, apud Deum omnia poſsibilia ſunt. Quid enim ſcis, ſi tu ſaluum facies patrem tuum, & modo mirabili genitor tui efficiaris genitoris?

Audiui enim regem quendam fuiſſe, multum bene regnum ſuum diſponentem, manſueteque ac leniter erga ſuum ſe habentem populum: hoc autem ſolum ſibi deerat, quod non habebat diuinæ notitiæ illuminationem, ſed errore idolorum detinebatur. Habebat autem conſiliarium quendam bonum, & perfectè exornatum, tam quæ ad Deum pertinet pietate, quam & omni reliqua virtutum ſapientia. Qui multum grauabatur & triſtis erat, eò quòd rex in tali permaneret errore. Volebatque eum

quandoque redarguere, ſed ab impetu iſto reuocabatur, metuens, ne fortè autor malorum ſibimet & ſuis omnibus fieret, & quæ per eum multis proueniebat vtilitatem amputaret. Quærebat tamen tempus oportunum vt traheret eum ad bonum. Dixit itaque rex ad eum: Veni, egrediamur, & perambulemus ciuitatem, ſicubi fortè aliquid vtilitatis videamus. Deambulantibus verò eis in ciuitate, viderunt lucis fulgorem per quoddam foramẽ relucentem: & huic oculos inijcientes, aſpiciunt ſubterraneũ habitaculum, ante quod ſedebat vir vltima degens inopia, qui vili quodã ac dilacerato amictus erat indumento. Aſsiſtebat ei vxor ſua propinatura, quo vitreum calicem in manus ſuſcipiente, dulciſsimum cantando melos, illa iucunditatem ei exhibebat, ſaltans, & virum laudibus extollens. Tunc hi qui iuxta regem aderant, diuitius iſta conſiderantes, mirabantur: quoniam tali inopia grauati, qui nec domum habebant, & veſtimentis carebant, ita locupletem ac ſecuram vitam ducebant.

Tunc ait rex conſiliario ſuo: O miraculum amice, quia mihi & tibi nunquã ſic noſtra placuit vita, quę tantis delicijs & tanta refulget gratia, ſicut vilis

hæc

hęc & miſerrima ſua vita hos ſtultos lę tificat & iucundatur, lenis eis ac ſuauis apparens, cùm ſit odibilis & aſpera. Op portunam itaq; nactus horã protoſym bolos, ait: Reuera ô rex, qualis tibi vide tur horum vita? Qui ait: Omnium quæ aliquando vidi amariſsima & infeliciſ- ſima, abominabiliſq́; & auertẽda. Tũc dicit ad eum protoſymbolos? Ita ergo bene ſcias ô rex, quia multo amplius an tè miſeram & infelicẽ noſtrã deputant vitã, contẽplatores ac narratores ęternę gloriæ illius, & bonorũ, quæ omnẽ ſu- perant ſenſum. Nam auro ſplendentia palatia noſtra, & ſplendida indumenta iſta, ſtercorib. & cœno fœtidiora viden tur oculis contemplantiũ inenarrabilẽ pulchritudinem in cœlis, non manuſa- ctorũ tabernaculorũ, ſtolæq́; diuinitus textæ, & incorruptibilium diadematũ, quæ præparauit Deus diligẽtibbus ſe. Quemadmodũ enim deſipere nobis iſti viſi ſunt, eodem modo, & eo amplius nos, qui in hoc mundo erramus, & ſuffi cientiã nobis eſſe putamus in falſa glo ria & inutilibus delicijs, lamentationi- bus digni ſumus, & lachrymis, in ocu- lis eorum qui guſtauerunt dulcedinem bonorum æternorum.

Rex autẽ his auditis ſtupefactus, ait: Qui ſunt ergo illi qui meliorem noſtra

vitam

vitam obtinent? Omnes, inquit proto-ſymbolos, qui æterna præponunt temporalibus. Rurſus ergo ſcire rege cupiente, quæ æterna, ait vir: Regnum ſempiternum, & vitam quæ morti non ſub iacet, & diuitias quæ nunquam metuunt egeſtatem, gaudium quoque & lætitiam totius expertem triſtitiæ & grauitatis, & pacem perennem, liberam ab omni inimicitia & contentione. Qui iſtam merebuntur accipere, beati erunt & hoc certiſsimum eſt. Sine dolore enim & ſine triſtitia viuent in æterna vita, & omnia delectabilia & iucunda quæ ſunt in regno Dei abſque labore percepturi, & cum Chriſto ſine fine regnaturi. Et quis dignus erit iſta percipere, ibi dicente rege, ille reſpondit: Omnes qui viam tenent, illuc ducentem. Facilis enim eſt introitus volentibus tantum. Tunc rex ait: Et quæ ſemita illuc producens? Reſpondit ei vir nobilis: Cognoſcere ſolum verum Deum, & Ieſum Chriſtum vnigenitum eius filium, & ſanctum ac viuificantem ſpiritum.

Rex igitur regalem habens intellectũ, ait ad illum: Et quis prohibuit te hactenus iſta nota mihi facere? Non enim abiectione & deſpectu digna mihi videntur eſſe iſta, ſi vera ſunt: ſi autẽ ambigua,

bigua, ſtudioſè oportet quærere, donec quod certum eſt, inueniamus. Non negligentia (inquit vir) aut inertia detẽtus iſta tibi notificare diſtuli, cum vera ſint & omnino indubitabilia, ſed excellentiam metuẽs tuæ gloriæ, ne fortè generarem tibi moleſtiam. Si ergo iuſſeris tuo famulo, vt amodo de his aliqua tibi recommemorẽ, per omnia tuo obſecundabor imperio. Etiam, inquit rex, nõ per ſingulos dies tantum, ſed etiam per ſingulas horas, horum memoriam mihi aſsiduè renoua. Non negligenter enim oportèret his attẽdere, ſed feruẽtius & ſtudioſius. Audiuimus nãque, ait Barlaam, piè regem iſtum vixiſſe poſtea, & tranquillè præſentem duxiſſe vitam, nec futura priuatum eſſe beatitudine. Si igitur & patri tuo talia quis opportuno ſuggeſſerit temopre, forſitan intelliget, & cognoſcet quantis obſeſſus eſt malis, & ab his declinans, eliget bonum. Nunc ergo cæcus eſt, vero ſe priuans lumine, ſponteq́ue ſua impietatis agit tenebras.

Dixit autem Ioſaphat ad eum: De patre meo faciat Dominus, ſicut ei placet. Ipſi enim (ſicut iam dixiſti) poſsibilia ſunt omnia, quæ apud homines impoſſibilia ſunt. Ego verò ex tuis ſacris ſermonibus præſentium cognoſcens vanitatem

diſcedere quidem penitus cogito,& tecum reliquum vitæ meæ ducere,ne propter temporalia iſta & fluida,ab æternorum & incorruptibilium excidam refrigerio.

Cui ſenex reſpondit: Si hoc feceris, ſimilis eris cuidã iuueni ſapientiſsimo. De quo audiui, quod filius fuit ditiſsimorum parentũ, cui pater ſuus deſponſauit filiam cuiuſdã nobiliſsimi,& præ omnibus locupletiſsimi viri,nimis pulcherrimam. Mouit autem cũ puero ſermonem de nuptijs,& quomodo facere meditabatur,annũciauit. Quod ille audiens,& quaſi rem malam ac nefariam reſpuens,relicto patre,fuga elapſus eſt. Ambulans autem declinauit in domũ cuiuſdam ſenis pauperis, propter æſtũ diei ſemetipſum repauſaturus.

Tunc Filia ſenis virgo,quæ erat ei vnigenita,ſedens ante ianuã,operabatur manibus,ore verò ſuo Deũ laudabat aſſiduè,gratias agẽs ei de imo cordis. Huius autẽ laudes iuuenis auſcultans, ait: Quôd eſt iſtud tuũ ô mulier ſtudium. Cuius autem rei gratia cum ita ſis pauper & tenuis,quaſi pro quibuſdam magnis donis gratias referendo, ſic laudas datorem? Quæ reſpondens,ait ad eum: Neſcis quod ſicut exigua medicina de magnis languoribus ſæpius liberat hominem

minem,ita & in paruis Deí donís gratiarum actio,magnorum auctrixefficitur bonorũ? Ego quidẽ filia ſum ſenis pauperis,gratias tamẽ refero Deo pro modicis iſtis donis, & benedico Dominũ, certa,quoniam qui hæc contulit,& maiora valet dare. Et iſta quidẽ de his quæ extrinſecus ſunt,& noſtra nõ ſunt. Ex quibus neq; multa poſsidentibus,lucrũ aliquod prouenit, vt non dicã quod & ſępius damnũ ſuſtinent:neq;minora accipientibus accidit detrimentũ,eandem vtriuſq; viam pergentibus,& ad eundẽ peruenientibus finem. Eorum verò quę magis ſunt neceſſaria & perfectiſsima, multa & maxima accepi Dei dona,quę immumerabilia & inæſtimabilia ſunt. Nam ſecundũ imaginẽ Dei facta ſum, & ipſius noticiã habere merui,& ratione præ omnibus animalibus ſum prædita,&ab ipſo deo inuitata ſum advitã per viſcera miſericordiæ eius:cuius & myſterio particeps eſſe promerui, & paradiſi ianua aperta eſt,facile ſi voluero, introitum mihi præbitura. Pro tantis igitur ac talibus donis,quæ indifferenter diuites percipiunt & pauperes,vt dignum eſt gratias agere,penitus eſt impoſsibile. Si autem & modicam iſtã laudationem largitori bonorum non obtulero,qualem excuſationem habebo?
Iuue-

Iuuenis itaque eximium illius ſtupens intellectum, eius patrem accerſiuit, cui & dixit: Da mihi vxorem filiam tuam, adamaui enim illam propter intellectũ eius ac pietatẽ. Tunc ſenex ait: Non licet tibi accipere pauperis filiã, cùm diuitum parentũ ſis filius. Rurſus autẽ iuuenis ait: Etiam hanc accipiã, ſi tamen mihi non negaueris eã. Nobiliũ quippe & diuitũ quorundã filia mihi fuit deſponſata, ſed hanc reſpuens, fugã arripui. Filiam verò tuã propter pietatem, quã habet in Deum, & præclarũ illius intellectũ adamans, copulari eam mihi pre omnibus cogitaui. Senex autẽ dixit ad eum: Non poſſum tibi hanc dare, vt ducas in domum patris tui, & ab vlnis meis ſepares illã. Vnica enim mihi eſt: Sed ego (inquit) iuuenis apud vos manebo, & veſtram ſuſcipiens conuerſationem. Deinde & ſplendidum deponens veſtimentum, ſenis habitum poſtulãs, induit. Tunc ille ſenex in multis tẽtans eum, & variè ipſius examinans cogitationem, poſtquã cognouit firmam mentis illius ſtabilitatem, & quia non amore inſipientiæ detentus petijt eius filiam, ſed pietatis amore elegit pauperrimè viuere, hanc præponens ſuæ gloriæ & nobilitati, tenens eum manu, introduxit in ſuum cubiculũ, & oſtendit

ei

ei diuitias multas ibi repoſitas, & immenſum pōdus pecuniarum, quantum non viderat aliquando iuuenis ille, & ait ad eum: Fili, hæc omnia tibi do, eo quòd elegiſti meæ fieri hæres ſubſtantiæ, Quam tenens hæreditatem ille, omnes ſupergreſſus eſt glorioſos terræ & diuites.

Orat Barlaam vt Deus Ioſaphato cordis oculos aperiat, atque ex admirabili huius mundi fabrica conſurgit in contemplationem aliqualem creatoris, cuius numen & maieſtatem ineffabilem prædicat.

CAPVT XVII.

DIxit autem Ioſaphat ad Barlaam: Conuenienter ſatis & iſta me tangit narratio, vnde & iſta dicta eſſe de me exiſtimo. Sed quæ eſt examinatio, per quam cognoſcere firmitatem mentis meæ quæris?

Cui ſenex ait. Ego quidem examinaui iam, & cognoui quàm ſis prudens & firmæ mentis, & animi verè rectiſsimi: ſed finis tuæ actionis, vtinam iſta corroboret. Huius rei gratia, flecto genua mea ad Deum noſtrum in trinitate glorificandum, omnium creatorem viſibilium & inuiſibilium, qui ſemper eſt & erit, nec vnquam initium habuit ſua deitas, nec habitura finem, terribilem

bilem & omnipotentem, bonum & miſericordem, vt illuminet oculos cordis tui, & tibi ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitionem ipſius, vt videas quę eſt ſpes vocationis eius, & quę diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, & quæ ſupereminens magnitudo virtutis illius in nos qui credimus: vt iam non ſis peregrinus & aduena, ſed ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, ſuperædificatus ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſommo angulari lapide Chriſto Ieſu. In quo omnis ædificatio cõſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino.

Ioſaphat autem nimium compunctus corde, ait: Hæc omnia & ego deſiderans ſcire, precor te, vt ea nota mihi facias, diuitias ſcilicet virtutis Dei, & magnitudinem ſupereminentem virtutis eius.

Tunc dixit ei Barlaam: Oro Deum, vt iſta doceat te, & ſcientiam talium infigat animæ tuæ, quia apud homines ipſius enarrare gloriam & potentiam, prorſus eſt impoſsibile, etſi omnes qui modo ſunt, & aliquando fuerunt hominum linguæ vnà fierent. Deum enim (inquit) Euangeliſta & theologus nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe narrauit. Inuiſi-

Inuiſibilis autem & inæſtimabilis gloriam & magnificentiam, quis poterit terrigenarum comprehendere, niſi cui ipſe reuelauerit quantū vult, ſicut prophetis ſuis & apoſtolis reſerauit? Nos verò & ex prædicatione eorum, & ex ipſa rerum natura, iuxta quod poſsibile eſt, didicimus. Dicit enim ſcriptura: Cęli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum. Et, Inuiſibilia eius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas.

Sicut enim aliquis domum cernens ſplendidiſsimam & artificiosè fabricatam, cuius forma ingeniosè cōpacta eſt ædificatorem aut architectum mox cōſiderans, mirabitur: ita & ego de non extantibus formatus, & ad hoc quod ſum adductus, etſi plaſtem atq; factorē videre non poſſum, ſed tamen ex benefacta & mirabili fabrica meijpſius, ad notitiam veni ſapientiæ eius, non ſecūdum quod eſt, ſed ſicut potui intelligere, quia non à meipſo veni, nec me ipſum feci, ſed ille plaſmauit me ſicut voluit. In principio omnes quidem fecit creaturas, quarum aliquas diminutas & contritas, rurſus meliori innouatione reformat. Deinde ſubleuans hinc diuino

uino ſuo imperio, ad aliam transfert vitam infinitam & æternam. In nullo horum poſſum reſiſtere fortitudini illius prouidentiæ, nec aliquid adijcere mihi ipſi, neque demere, ſiue ſecundum ſtaturā, ſeu iuxta formæ ſpeciem, nec inueterata in me renouare præualens, nec corrupta redintegrare. Nullus enim hominum horū aliquid potuit aliquando perficere, neque rex, neq; ſapiens, neque diues, neq; potens, nec aliquis alius humana peragens ſtudia. Nullus enim regū (ait quidā) aut eorum qui in ſublimitate ſunt, aliud habuit natiuitatis exordium. Vnus enim omnium introitus ad vitam, exitusq́ue ſimilis.

Ex his ergo quæ circa me ſunt, ad ſcientiam creatoris magnificè perductus ſum. Cum his autem & bene compactam fabricam, & conuerſationem creaturæ totius conſideraui, & vidi quod ipſa omnia ſecundum ſe, ipſa quidem conuerſationi ſubiacent, & mutationi. Intellectualia quidem ſecundum liberum arbitrium, & in bono profectum, & à bono defectum: ſenſibilia verò iuxta generationem & corruptionem, augmentumq́ue & detrimentum, & iuxta qualitatem tranſmutationum & localem motionem. Et ex his prædicant vocibus ineffabilibus, ab

incre-

increato & immutabili ſe facta eſſe Deo, cōtineriq́; conſeruari, & ſemper prouideri. Quomodo ergo cōtrariæ naturæ, ad vnius mundi completionem in ſimul conuenerūt, & indiſſolubiles permanſerunt, niſi quædam omnipotens virtus iſta commiſcuiſſet, & ſemper indiſſolubilia conſeruaret? Quomodo enim aliquid maneret, niſi ipſe voluiſſet? Aut quod nō vocatū eſt ab eo, quomodo, ait ſcriptura, ſeruaretur?

Si enim nauis ſine gubernatore non poteſt ſubſiſtere, ſed mox ſubmergitur, & domus modica nunquam ſtabit ſine prouiſore: mundus quomodo conſtat tanto tēpore, creatura ſic magna, ſic bona & mirabilis, ſine glorioſa quadā & magnifica, atq; mirabili gubernatione & ſapiētiſsima prouidentia? Ecce enim cœlum quantū tempus habet, & non denigratum eſt, terræ virtus non eſt laſſata ex tanto tempore, fontes nō deſierunt fluere ex quo facti ſunt, mare tot et tanta ſuſcipiens flumina, non ſupergreditur menſuram. Curſus ſolis & lunæ non mutantur, ordines diei & noctis non peruertuntur. Ex his omnibus iſtis ineffabilis Dei virtus & magnificētia nobis declaratur, teſtificata à prophetis & apoſtolis, ſed nemo dignè cōſiderare, vel laudare gloriam eius pote-

rit. Omnia nanq; viſibilia & inuiſibilia, Apoſtolus qui Chriſtum habebat in ſeipſo loquentem, conſiderans dixit:
1.Cor.13. Et ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autē venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex par
Rom.11. te eſt. Ideo ſtupens inæſtimabiles diuitias eius, aperte clamat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, et inueſtigabiles viæ eius.

Si autem ille qui vſque ad tertium raptus eſt cœlum, tales emiſit voces: quis ſimilis mei, omnino audebit abyſſum tantorum myſteriorum non ſolum non diſcere, ſed nec etiam çogitare dignè, niſi ei qui largitor ſapientiæ, & inſipientiū corrector, gratiā ſuam infuderit? Nam in manu eius & nos, & ſermones noſtri, omnisq; ſapientia & operū diſciplina ab ipſo eſt. Ipſe enim dedit nobis horū quæ ſunt ſcientiā verā, vt ſciamus diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum. Initium & conſummationem, & medietatem, tēporum viciſsitudinem, permutationes omnium horarum, & quod omnia in numero, & menſura, & pondere ordinauit. Nam magnificè poſſe ei exhibuit ſemper, & fortitudinē brachij eius quis ſuſtinebit? Quia ſicut ictus ſtateræ to-

tus mundus in conſpectu eius, & ſicut ſtilla roris mane pertranſiens. Miſeretur verò omnium, quia omnia poteſt, & diſsimulat peccata hominum propter pœnitentiam: neminē quippe abominatur neque auertit ad ſe currentium. Solus bonus & amator animarum dominus: benedictum ſit nomen eius & laudabile, & ſuperexaltatum in ſecula: Amen.

Dixit autem ad eum Ioſaphat: Si multo tempore meditareris ſapientiſsime, quatenus propoſitarum enodationem quæſtionum nobis diſſolueres, nō melius id facere poſſe mihi videris, quā talia dicendo, qualia paulo antè protuliſti. Autorem enim cunctorum & datorem bonorum docuiſti eſſe. Incomprehenſibilem etiam cogitationibus humanis, gloriam magnificentiæ eius ſermonibus euidentiſsimis oſtendiſti: & quia non aliter quis valet hanc apprehendere, niſi ipſe Deus (quantum ſibi placet) reuelauerit: propter quod tuam valde rationabilem ſapientiam admiratus ſum vehementer.

Quemadmodum hæc carnalis vita, non eſt vere vita, ſic neque mors temporalis, vera mors eſt. Monachorum in victu & veſtitu frugalitas. Ioſaphat baptiſmum expetit,

tis, ac doceri flagitat monaſticæ vitæ opulentiam.

CAPVT XVIII.

HIs ergo prætermiſsis dic mihi beatiſsime, quot annorum ipſe es, & in quibus locis conuerſaris, quosque huius philoſophiæ ſocios habes. Fortiter enim anima mea ex tua pendet, & nequaquam à te omni tempore vitæ meæ volo ſeparari.

Cui ſenex ait: Annorum ſum (ſicut opinor) quadraginta quinq;. In deſertis enim terræ Sennaar degens, agonizantes mecũ habeo eos, qui in curſu ſuperni itineris laborant. Quomodo, inquit Ioſaphat, iſta mihi dicis? Amplius enim appares mihi ſeptuaginta annorũ eſſe. Quid igitur ſermo ſibi vult quadraginta annorum. Non enim videris mihi in hoc verum dicere.

Dixit autem ad eum Barlaam: Siquidem à natiuitate annos meos quæris diſcere, bene hos æſtimaſti amplius ſeptuaginta annorum eſſe. Sed nullo modo à me in menſura vitæ cõputantur, quotquot in vanitate mundi expenſi ſunt. Quando enim viuebam, carne ſeruiens peccatis, mortuus eram in interiori homine. Annos igitur mortis, nunquam vitæ nominabo. Ex quo verò mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo,

do, & depoſui veterem hominem, qui *Gal.6.*
corrumpitur ſecundum deſideria erro- *Eph.4.*
ris:non iam viuo in carne, ſed viuit in
me Chriſtus. Quod autem viuo, in fide
viuo filij Dei, qui tradidit ſemetipſum
pro me. Hos meritò & annos vitæ, &
ſalutis dies vocabo, quos circa quadra-
ginta quinque computo annos ſecun-
dum ordinem tibi, & non ſecundũ opi
nionem horum dixi numerũ. Et tu ta-
lem ergo habeto cogitationem, ſemper
nequaquam viuere arbitrans eos, qui
mortui ſunt quidem in bono opere, vi
uunt autem in peccato, & mundi recto
ri ſeruiunt, deorſumque tracti, in volu-
ptatibus & deſiderijs malis vitam ex-
pendunt: ſed mortuos eſſe iſtos nõ am-
bigas, & defunctos efficaciæ vitæ. Nã
peccatum mortem, immortalis ſapiens
quidem pulchrè appellauit. Ait autem
Apoſtolus: Cum ſerui eratis peccati, *Rom.6.*
liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fru-
ctum habuiſtis tunc in illis, in quibus
nunc erubeſcitis? Nam finis illorum
mors eſt. Nunc autem liberati à pec-
cato, ſerui autem facti Deo, habetis
fructum veſtrum in ſanctificationem,
finem verò vitam æternam. Stipen-
dia enim peccati mors, gratia autem
Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domi-
no noſtro.

Dixit itaque Ioſaphat ad eum. Quoniam quidem vita carnalis non iure vita vocatur, ergo nec mors temporalis, mors debet appellari.

Cui ſenex reſpõdit: Indubitanter & de his ita ſentio, nequaquam temporalem hanc mortem timens, nec mortem ipſam penitus appellans. Nam ſi me in via mandatorum ambulantem comprehenderit, trãſitus eſt magis de morte ad vitam: ſcilicet meliorem, & perfectiorẽ, & in Chriſto abſconditam. Quã deſiderantes aſſequi ſancti, magnum vitæ

2.Cor.5. pręſentis tędium patiebantur. Propter quod ait Apoſtolus: Scimus quoniã ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationẽ ex Deo habeamus, domum non manufactam, ſed æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationẽ noſtrã quæ de cœlo eſt ſuperindui cupiẽtes, ſi tamẽ veſtiti, & non nudi inueniamur. Nã et qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Et iterum:

Rom.7. Miſer (inquit) ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Et rurſus:

Phil.1. Cupio diſſolui, et eſſe cũ Chriſto. Pro-

Pſal.41. pheta etiã. Quando veniã (inquit) et apparebo ante faciem Dei. Quiã & ego

om-

omniũ ſeruorũ Dei minimus, iſtam tẽporalem mortem nullo modo formidem, vales hinc indubitanter perpendere: quoniam contemnens patris tui minas, abſq; timore ad te veni, & ſalutare tibi verbum annunciaui, cum diligenter nouerim, quod ſi ei in notitiam iſta venerint, mille me (vt poſsibile eſt ei) mortibus ſubijciet. Sed ego omnibus verbum Dei præponens, & ipſum deſiderans aſſequi, neq; pauco temporalem mortem, neq; tali appellatione dignam ipſam prorſus iudico, Dominico obediens mandato, dicenti: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam verò non poſſunt occidere: ſed magis eum timete, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. *Matth.10.*

Iſta verò (inquit Ioſaphat) veracis veſtræ philoſophiæ exercitia, nimis ſuper grediuntur naturam terrenorum, vitæ præſenti radicitus inhærentium. Beati eſtis vos, qui tam virilem atque conſtantem habetis voluntatem. Sed vnde, & qualis tibi, & his qui tecum ſunt in huiuſmodi deſerto victus, vnde etiam indumenta, & qualia, veraciter quæſo mihi inſinua?

Abſtinentia et ciborum delectus Barlaam et Sociorum eius Monachorum.

Cui Barlaam ait: Victus quidem nobis eſt ex his quę inueniri poſſunt, fructus videlicet arborũ, et herbæ, quas ere-

Victus monachorum deſerta incolentiũ.

mus defert rore irrigata cœleſti & pręcepto creatoris obediẽs, pro quibus nullus nos impugnat, vel nobiſcũ contendit, plus quærẽs diripere auaritię cauſa, vel lege cupiditatis. Sine inuidia enim omnibus adiacet illaborata eſca, & vltro præparata menſa. Si verò aliquãdo, & vicinorũ aliquis fidelium fratrũ panis offerat benedictionem, quaſi diuina prouidentia tranſmiſſum, ſuſcipimus illum pro benedictione fideliter offerentiũ. Indumenta verò lanea & cilicina & melotaria, inueterata & aſpera ſunt atterentia infirmam carnem iſtam. Id ipſum nanque nobis eſt opertorium, æſtate & hyeme. Quod nullo modo ex quo induimus, exuere licet, donec inueteratum penitus corrumpatur. Sic enim frigoris & ardoris neceſsitatibus vexati, futurorum incorruptionis veſtimentorum meremur nobis ipſis operimenta.

Item aſperitas veſtium eorũ, Quod nota, tu qui dicis veſtitum antiquis Monachis non fuiſſe præſcriptum, ſed ſuo cuique arbitri o ſimplicem et non qui prodigioſa nouitate faceres inſignem.

Ioſaphat verò ait: Vnde igitur hoc tuum eſt quo indueris veſtimentum? Reſpondit ſenex: In vſu iſtud à quodã fidelium fratrum ſuſcepi, iter ad te facturus. Non enim congruebat cum cõſueta veſte huc aduenire. Feci enim ſicut quidam qui habebat dilectiſsimum ſibi cognatum captiuum, in alienam gentem ductum: & hunc volens inde

educere,

educere, depoſito habitu ſuo & aduerſariorum induto, adijt regionẽ, & multimodè domeſticum de amara liberauit tyrannide. Eodem modo et ego quæ circa te ſunt agnoſcens, hoc indutus habitu, ſemen diuinæ prędicationis in tuo corde veni ſerere, & de ſeruitute crudeliſsimi mundi rectoris liberare. Et nunc ecce diuina virtute, quantum in me fuit, miniſterium meum compleui, Deiq́ue notitiam annunciaui tibi, ac prophetarum & apoſtolorum prædicationem notificaui: oſtendiq́ue ſimul veraciter, & ſine errore, præſentium vanitatem, & quantis et qualibus malis mũdus eſt plenus, crudeliter ſeducens obedientes ſibi, atque multimodè eos illaqueans. De cætero redire me oportet vnde veni: quò cum peruenero, alieno habitu depoſito, proprium reſumam.

Sic meremur nobis futurorũ incorruptiõnis veſtimentorum operimentum, Vide meritum in Sanctis.

Rogat igitur ſenem Ioſaphat, oſtendi ſibi ab eo conſuetum veſtimentum. Tunc Barlaam exuta qua indutus erat veſte forinſeca, apparuit Ioſaphat viſio horribilis. Erat enim tota carnis qualitas conſumpta, denigrataq́ue cutis ab ardore ſolis, & oſsibus hærens, & tenſa ac ſi pellis ſubtilibus tendatur calamis. Laneo verò quodã panno diſciſſo et valde aſpero precinctus erat à lumbis vſque ad genua. Simili quoq; huius pal

 lio

lio circa humeros opertus erat. Admiratus eſt itaq; nimiũ Ioſaphat huius duri laboris conuerſationem, & perſeuerantiæ ſtupuit eminentiam, & ingemiſcẽs, lachrymatus eſt, & ait ſeni: Quoniam me de dura & amara diaboli ſeruitute liberare veniſti, finem congruum tuo imponens beneficio, educ animam meam de carcere iſto, & me tecum ſumpto, eamus hinc, vt perfectè redemptus de mundi errore, ſignum tunc ſuſcipiam ſalutaris baptiſmatis, & ſocius tibi huius admirabilis philoſophiæ, & eximiæ conuerſationis fiam.

Dixit autem Barlaam ad eum: Hinnulum capreæ nutrierat quidam diuitum, qui cũ creuiſſet, deſerta deſiderabat, naturali tracta effectu. Egreſſa igitur die quadam, inuenit gregem caprarum paſcentiũ, & iuncta his, circuibat per campos & ſyluas. Reuerſa tamẽ ad veſperum, denuò ſummo diluculo famulorum negligentia exibat, & ſylueſtribus aggregata capris, paſcebatur cũ eis: Quibus lõgius ad paſcendũ recedentibus, ſubſecuta eſt & illa. Miniſtri diuitis hoc ſentientes, aſcenſis equis abierunt poſt eas: Et ſuam quidem capreã vnam capientes, & reducentes domũ, de cætero exire prohibuerunt. Reliquũ verò perſecuti ſunt gregem, & alias qui-

quidem occiderunt, alias verò diſperdiderunt. Eundem nanq; modum timeó fieri et in nobis, ſi me ſecutus fueris. Nã & tuo conſortio carebo, & multorum malorum fratribus meis autor exiſtam. Sed hic te vult Dominus, nunc quidem ſignari ſigno baptiſmatis, et manere in regione iſta, omnemq́ue fortiter tenere pietatem, & mandatorum Dei operationem. Cum autem hoc autor dederit omnium bonorum, tunc venies ad me, & reliquum præſentis vitæ ſimul habitantes, ducemus. Confido verò in Domino, quia & in futuri ſeculi conuerſatione coniuncti erimus, & aſſociati.

Rurſus lachrymatus Ioſaphat, ait ad ſenem: Si Domino iſta placent, voluntas eius fiat. Conſigna ergo me de reliquo diuino baptiſmate: & aſſumptis à me pecunijs & veſtibus, ad victum & ad veſtitum tui atque tuorum fratrum, vade ad locum conuerſationis tuæ in pace à Deo conſeruatus, & me ne deſeras orando, vt non excidam de ſpe mea, ſed citius valeam ad te peruenire, & in ſecura quiete à te percipere profectus mei vtilitatem.

Cui Barlaam ait: Chriſti quidem ſuſcipiendi ſignum, prohibitio nulla, imò congruit de cætero temetipſum Domino cooperante, conſignari. De his autẽ

quæ dixiſti,id eſt, pecunias mihi & me is te daturum, quomodo erit iſtud, vt tu pauper diuitibus præbeas eleemoſynam? Diuites nanq; ſemper egenis benefaciunt,nō inopes locupletibus. Extremus enim omnium meorum ditior te incomparabiliter eſt. Sed confido in miſerationibus Domini, & te paulo poſt ditari,& tunc miſericors non eris.

Dixit autem Ioſaphat ad eum: Enuclea mihi ſermonem, quomodo vltimus omnium tuorum ſuperat me diui tijs,quos in vltima viuere inopia,& no uiſsima tribulari egeſtate paulo ante dixiſti? Quomodo etiā me pauperē vocas:ſed quando locupletabor,tunc miſericordem non fore dicis, nunc etiam miſericordem exiſtentem. Barlaam reſpondit:Non egeſtate hoc dixi tribulari,ſed diuitijs abundare in deficiētibus. Nam ſemper pecunias addere pecunijs,& non ab hoc impetu frenari, ſed amplius his inſatiabiliter inhiare,iſtud extremæ inopiæ eſt, & vltima paupertas. Præſentia verò contemnentes deſiderio æternorum, & quaſi ſtercora iſta exiſtimantes, vt Chriſtum ſolum lucri faciant,omnemq; ciborum & veſtimētorum deponentes ſolicitudinem, & in domino hanc proijcientes, lętantes inopia, ſicut quiuis amator mundi nō-

nun-

nunquam lætatur, diuitijs & pecunijs honoratus, & virtutum diuitias ſine inuidia aggregantes, ſpeq; indeficientiũ ſaginatos bonorũ, meritò ditiores te et omni regno terreno vocaui. Deo autẽ cooperante accipies & ipſe huiuſmodi ſpiritualem ſubſtantiam, quam diligentius ſeruans, & ampliare ſemper meritò deſiderans, nunquam poterit aliquid huius vacuari: hæc enim vera ſubſtantia. Temporalium verò immenſitas diuitiarum, ſuos potius lædit amicos, quã proſit eis. Meritò igitur extremam inopiam has vocaui, quibus amatores cœleſtium bonorum penitus abrenunciant, eas fugientes ſicut refugit aliquis à facie colubri. Si verò hoſtem quem iam necauerunt, & ſub pedibus conculcacauerunt cõfratres mei et cõmilitones, hunc denuò viuentem à te ſuſcipiens eis inferam, & autor eis bellorum ac vitiorum fiam, eroq; proculdubio angelus malus. Quod abſit à me vt faciam.

Eadem quoq; & de veſtimentis intellige. Nam exuta vetuſtatis corruptione, & inobedientiæ, quantũ in ipſis eſt, depoſita, Chriſto verò quaſi veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ ab eis induto, quomodo cogam eos iterum pelliceas induere tunicas, & cõfuſionis operiri amictu? Sed meos quidem om-

nes, nullo talium indigere cognoſcens; eremi verò cõtentus exercitio, & delicias hoc reputantes veriſsimas, pecunias & veſtes, quas eis te velle præbere dixiſti, egenis tribue, theſaurumq; tibimetipſi in futuro ſecurum, Deo procurante, illorum orationibus repone. Sic enim magis coöperãtibus diuitijs ad bo-
Eph. 6. na vteris. Deinde & armaturam ſpiritus aſſumens, et lũbos in veritate habẽs præcinctos, indutusque lorica iuſtitiæ, et galea ſalutis aſſumpta, pedesq; in preparatione euangelij pacis calciatus, & in manu fidei aſſumpto clypeo, & gladio ſpiritus (quod eſt verbũ Dei) vndiq; fortiter armatus atq; munitus, ſic cõfidenter ad bellũ contra impietatẽ egredere: et hac in fugam à te conuerſa, et illius principe diabolo in terrã proſtrato, victoriæ corona adepta, coronaberis viuifica dextera dominatoris.

Ioſaphat baptiſandus accurato catechiſmo, de fidei miſterijs, eucharistia, imaginũque cultu inſtruitur, & recitato ac declarato fidei Nicenæ ſimbolo, baptiſatur, ac ſumpta Euchariſtia ad capeſcendam virtutem à Barlaam extimulatur.

CAPVT XIX.

Ante baptiſmũ per plurimos di

Talibus ergo dogmatibus, et verbis ſalutaribus inſtruens Barlaam filium

tum regis, et ad diuinum baptiſmũ præparans, ieiunare quoque & orare ei mandans, per plurimos dies non deſeruit eũ, ſed frequenter ingreſſus, totam ex integro ſeriem orthodoxæ fidei inſinuans, & diuinum euangelium recitans ei, inſuper & apoſtolicas admonitiones, & prophetica dicta exponens. Nam vir ille à Deo doctus, totam in ore veterem & nouam ſcripturam ferebat, diuino afflatus ſpiritu, illuminauit eum ad veram Dei noticiam. In ipſa itaq; die quando baptizandus erat, intulit ei, dicens: Ecce Chriſti debes accipere ſignaculum, & lumine ſignati vultus Domini, & filius Dei fieri, & templum ſpiritus ſancti. Crede igitur in patrem & filium, & ſpiritum ſanctum, ſanctam & viuificam Dei trinitatem in tribus perſonis, & vnam deitatem glorificandam, diuiſam quidem in perſonis, & perſonarum proprietatibus, vnitam in ſubſtantia. Vnum quidem cognoſce Deum patrem ingenitũ, filium vnigenitum dñm noſtrũ Ieſum Chriſtum, lumen de lumine, Deũ verum de Deo vero natum ante omnia ſecula. Nam de bono patre, bonus natus eſt filius. De lumine verò tanto, lumen reſplenduit ſempiternum, & de vera vita, fons viuificans prodijt, & de virtute

es præparauit filiũ regis, mandans ei ieiunare & orare.

Quemadmodũ etiam Petrum docuiſſe auctor eſt Clemens Epiſt. pri. ad Iacobum.

Sermo baptizandus.

virtute patris, filij virtus apparuit. Qui eſt ſplendor glorię, & verbum ſubſtantiale, quod erat in principio apud Deū, & ſine initio eſt, & ſine fine, per quem facta ſunt omnia, viſibilia et inuiſibilia: & vnum ſcias ſpiritum ſanctum ex patre filioq́; procedentem, Deum perfectum, & viuificantē, & ſanctificationis largitorem, ſuæ voluntatis ſuæq́; poteſtatis ſubſtantiuum. Ita ergo adora patrem & filium & ſpiritum ſanctum in tribus perſonis, id eſt proprietatibus, et diuinitate vna, Vna nanq; eſt trium deitas, & vna eorum natura, vna ſubſtantia, vna gloria, vnum regnum, vna virtus, vna poteſtas. Commune autem eſt & filio & ſpiritui ſancto, de patre eſſe: proprium eſt autem patris, ingenitum eſſe, filij verò natiuitas: ſpiritus verò ſancti, proceſsio.

Sic iſta crede. Comprehendere verò modum natiuitatis vel proceſsionis, non quæras: incomprehenſibilis enim eſt, ſed in rectitudine cordis accipe, quia pater & filius & ſpiritus ſanctus per omnia vnum ſunt (exceptis proprietatibus quas paulò ante dixi) & quia vnigenitus filius et verbum Dei, et Deus propter noſtram ſalutem deſcendit in terram, & voluntate patris & cooperatione ſpiritus ſancti, ſine ſemine virili con-

conceptus eſt in vtero virginis, & Dei genetricis Mariæ per ſpiritum ſanctũ, & ex ea natus eſt homo perfectus, ex duabus, & in duabus intellectualibus naturis, & in vna perſona. Et iſta indubitanter accipe, & fideliter crede. Nec velis diſcutere, quomodo ſemetipſum exinaniuit filius Dei, & homo factus eſt de virginali ſanguine, & virili ſemine, & ſine matris corruptione. Fide enim iſta edocti ſumus tenere, diuinitus nobis ex diuina ſcriptura tradita. Modum verò ignoramus, nec dicere valemus.

Crede filium Dei per viſcera ſuæ miſericordiæ factum hominem, onus ſuſcepiſſe, quæ ſunt humanitatis naturales & ineuitabiles paſsiones. Eſuriuit enim & ſitiuit, & in agonia fuit natura humanitatis, & pro nobis impijs, ductus eſt ad mortẽ, & crucifixus eſt, mortemq́; guſtauit, & ſepultus eſt, deitate tamen impaſsibili & incõmutabili permanente. Nihil enim omnino paſsionũ impaſsibili attribuimus naturæ: ſed corpore cognoſcimus eum paſſum & ſepultũ, & diuina maieſtate à mortuis reſuſcitatũ incorruptione, & ad cœlos aſcendiſſe, & iterum cum gloria venturum iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuiq; ſecundum opera ſua. Reſurgent

ſurgent quippe mortui, & exurgẽt qui in monumentis ſunt. Et quidem qui Chriſti mandata ſeruauerunt, & in recta fide perſtiterunt, hęreditate poſsidebunt vitam æternã: illi verò qui in peccatis & iniquitatibus ſemetipſos corruperunt, & à recta fide declinauerunt, in ſupplicium ibunt æternũ. Noli credere ſubſtantiã aliquam mali eſſe, aut regnũ neque principium illud eſſe ſuſpiceris, aut à ſeipſo ſubſiſtere, vel à Deo factũ, ſed noſtrum opus hoc eſſe & diaboli, quod noſtra ſuperbia irrepſerit nobis, ac per liberum arbitrium nos illud feciſſe, & propria voluntate elegiſſe, ſiue bonum, ſiue malum. Cum his confitere vnum baptiſma, ex aqua & ſpiritu in remiſsionem peccatorum.

Nota cõtra hereticos negantes veritatẽ corporis et ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſacramẽto altaris.

Sacramentorũ cœnæ Dominicæ mentio.

Accipe & perceptionem illibatorum Chriſti myſteriorum, & crede in veritate, corpus & ſanguinẽ eſſe Chriſti Dei noſtri, quẽ dedit fidelibus in remiſsionem peccatorũ. Nam nocte qua tradendus erat, ſanctis ſuis diſcipulis & apoſtolis, & per eos omnibus in ſe credituris, dixit: Accipite et manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur in remiſsionem peccatorum. Similiter & calicem accipiens, dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamẽti, qui pro vobis effundetur:

detur: hoc facite in meam cõmemorationem. Ipſe eſt enim Dei ſermo viuus et efficax, & omnia virtute ſua peragens, facit & cõuertit diuino verbo ſuo panis & vini oblationem, in corpus et ſanguinem ſuum, ſuperueniẽte ſpiritu ſancto, in ſanctificationem & illuminationem cum deuotione percipientium.

Vide Euchariſtiam adorandam eſſe, etſi ſecus hodie faciẽdum eſſe haeretici blaſphemando aſſerant. Vide etiam pro cultu imaginum contra nouatores noſtros.

Adora eũ fide, oſculando, venerando imaginẽ Dominici characteris, propter nos incarnati Dei verbi, ipſum te reputans creatorẽ cernere imagine ſua. Reuerẽtia nanq; imaginis (ait quidam ſanctorum) ad exemplar eiuſdem tranſit imaginis: Exemplar verò eſt, ex quo ipſa imago deriuatur. Nam in imagine figuram intuentes, mentis oculis ad verum tranſimus illius aſpectum, cuius imago eſt, piè adorantes propter nos incarnati effigiem: non Deum facientes, ſed imaginẽ incarnati Dei oſculantes, deſiderio & amore qui ſemetipſum exinaniuit propter nos vſq; ad formam ſerui. Similiter etiam & figuram viuificæ & venerandæ crucis adorando cole, propter eum qui in ea carne pependit pro ſalute generis noſtri, ſcilicet Chriſtũ et ſaluatorẽ mundi, qui dedit nobis huius protectionẽ contra inſidias diaboli. Paueſcit enim ipſe & tremit, nõ ſuſtinẽs adorandam ipſius virtutẽ. In huiuſ-

Si aduerterẽt hæretici quæ hic dicũtur, nõ tot inſanias circa cultum imaginum effutirent. Non enim facimus imaginem Deum, nec lignũ, aut lapides adoramus. Sed imaginem intuẽtes mentemq; ad Deum tranſferentes, ipſum ſolum adoramus & colimus.

Si non eſt aliud Euangeliū vel alia fides præter ab Apoſtolis prædicatā, & in Concilijs per ſanctos patres confirmatā, ac Eccleſiæ traditā, cur nobis, o hæretice aliud modo Euangelium, & aliā prorſus fidem annuncias? Barlaā in ſuo hoſpitio ſacrā miſſam celebrauit, ecce nomen miſſæ, & priuatam eius celebrationem Vtrumque contra noſtri temporis hæreticos. Gal. 1.

iuſmodi documentis, & in tali fide baptizaberis, incõmutabilem hunc & purum ab omni hæreſi cuſtodiens, vſq; ad vltimam expirationem. Omnem verò doctrinam & totam dogmaticam vocem huic immaculatæ fidei contrariam abominare, & alienationem cogita eſſe à Deo. Ait enim Apoſtolus: Quia etſi nos vel angelus de cœlo euangelizauerit vobis præter quod accepiſtis, anathema ſit. Non eſt enim aliud euangelium, vel alia fides, præter illam quæ ab apoſtolis fuit prædicata, & per ſanctos patres in diuerſis ſynodis extitit confirmata, & eccleſiæ catholicæ tradita.

Hæc dicens Barlaam, & fidei ſymbolum expoſitum in Nicena ſynodo docens regis filium, baptizauit eum in nomine patris & filij, & ſpiritus ſancti, in piſcina aquę quę erat in paradiſo eius, venitq; ſuper eū gratia ſpiritus ſancti. Reuerſus autem ad hoſpitium ſuum ſacram miſſam celebrauit, tradiditque ei intacta Chriſti myſteria, & exultabat ſpiritu, gloriam referens Chriſto Deo, & domino noſtro, dixitq; ad Ioſaphat: Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam regenerauit te in ſpem viuam, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam,

&

& immarceſsibilem, conſeruatam in cœlis, in eodem Chriſto Ieſu Domino noſtro per ſpiritum ſanctum. Hodie nanque liberatus à peccato, ſeruus autem factus Deo, pignus accepiſti æternæ vitæ: & tenebras deſerens, lumen induiſti, adoptatus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Itaque iam non es ſeruus, ſed filius & hæres Dei, per Chriſtum in ſpiritu ſancto. Ideo chariſsime feſtina mundus & immaculatus ei inueniri, bonum operando fundamentum fidei. Fides enim ſine operibus mortua eſt, nec non & opera ſine fide, quemadmodum & antea memini dixiſſe tibi. *Ioan. 1.*

Deponens ergo de cętero omnẽ malitiã, & omnia opera veteris hominis odiens, qui corrũpitur ſecundũ deſideria erroris, quaſi modo genitus infans, rationabile, & ſine dolo lac virtutum cõcupiſce, vt in eo creſcas, & peruenias ad agnitionem mandatorũ filij Dei in virum perfectũ, in menſuram ętatis plenitudinis Chriſti: vt non iã paruulus ſenſibus fluctues, & circũferaris omni vento erroris, ſed malitia paruulus eſto, & ad bonũ, ſtabilem & firmũ habeto ſenſum, vt dignè ambules vocatione qua voca-

vocatus es in cuſtodia mandatorũ Dñi, repellens à te & alienans vanitatem prioris conuerſationis: quemadmodũ gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, obſcuratum habentes intellectũ, & alienatæ à gloria Dei, ſubduntur deſiderijs, & irrationabilibus motibus carnis. Tu verò ſicut acceſsiſti ad Deũ viuũ & verum, ita vt filius lucis ambula. Fructus enim ſpiritus, eſt in omni bonitate, et iuſtitia, & veritate. Et nouũ quem induiſti hominem, ne vlterius priori corrumpas vetuſtate, ſed renoua de die in diẽ in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Poſsibile eſt enim omni volẽti, ſicut audiſti, quia poteſtatem dedit filios Dei fieri. Itaque non iam poſſumus dicere, quia impoſsibilis eſt nobis virtutum poſſeſſio. Facilis eſt enim via & plana: & ſi ſtricta & arcta vocetur propter corporis macerationẽ, tamẽ deſiderabilis eſt & recta, propter ſpem futurorũ bonorum, eis qui nõ inſipienter gradiuntur, ſed diligẽter attendũt quę ſit voluntas Dei, & armaturã illius induunt ad præliandũ cõtra verſutias aduerſarij, & in oratione & obſecratione in idipſum vigilantibus, in omni patientia & ſpe.

Tu ergo ſicut audiſti à me, & didiciſti, firmum pone fundamentum, & in ipſo abunda creſcens, & proficiens, &

bonam

bonam exerce militiam, habens fidẽ & bonam conſcientiam teſtificatã, ſectan do iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatẽ patientiam, manſuetudinẽ, vt cõſequa ris æternã vitam, ad quam vocatus es. Oẽm verò voluptatem & vitiorũ libidinẽ, nõ ſolũ operationis effectu elõga à te, ſed etiam mẽtis cogitatione, vt im pollutam animam tuam Deo repræſen tes, Non ſolũ enim actiones noſtræ, ſed & cogitatioues coronæ nobis ſeu pœnę cauſa ſunt. In cordibus enim mũdis habitare Chriſtũ vnà cum patre & ſpi ritu ſancto credimus: e contrario, ſicut fumus apes, ſic malignæ cogitationes fugant ſpiritus ſancti gratiam.

Vide quod & actiones, et cogitationes noſtræ ſunt nobis coronæ, et pęnæ cauſa.

Quapropter diligenter hoc attendẽ do, oẽm cogitationũ poſsibilitatẽ ex anima tua dele; et beneplacitos inſere co gitatus, templũ teipſum faciendo ſpiri tus ſancti. A cogitationibus enim ad effectũ operationis peruenimus: et omne opus à mente & cogitatione originem ducẽs, paruum quidem eſt in initio, ſed paulatim augmentum capiendo, magnum efficitur. Propterea nullo modo tui dominari cõſuetudinem permittas malã, ſed dũ adhuc moderna eſt, euelle de corde tuo radicẽ paruã, ne forte exor ta, & in profundũ fixis radicibus, mora pariter ac dolore vt eradicetur indigeat

Idcirco enim ſemper maiora peccata ſu peueniũt nobis, & vim inferũt anima bus noſtris, quia minora non vitantur: vt ſunt cogitationes malę, ſermones in congrui, colloquia praua, quæ ſolerti egent correctione. Sicut enim in corpo ribus qui modicas deſpiciunt plagas, putredinem ac mortem ſæpius incurrunt: ſic & animabus quæ modica ſper nunt vitia & peccata, maiora ſubrepũt eis crimina. Quæ cum in habitum duxerit anima, contemnit. Nam impius (inquit) cum in profundum malorum venerit, contemnit, & de reliquo, ſicut ſus in volutabro luti lota delectatur.

Infelix quippe anima malis conſuetudinibus detenta, nec etiam peccatorum fœtorem ſentit, ſed potius oblecta tur in ipſis & gaudet, quaſi bonum aliquod malitiam deputans. Quæ licet tã dem aliquando reſipiſcens, in ſenſum venerit, labore tamen multo & ſudore liberatur, ab his quæ peregit, vltro ſemetipſam ſubijciens ſeruituti malignæ conſuetudinis. Propter quod omni vir tute elonga temetipſum ab omni praua intentione, & cogitatione maligna, & vniuerſa vitioſa conſuetudine. Potius verò temetipſum in virtutibus exerce, & in habitum harum operationem ducito. Si enim modicum labora-

ueris in eis,& habitum ducere præualu eris,de reliquo ſine labore, Dei cooperatione proficies. Nam virtutum habitus animæ inſertus,quaſi naturalem cognationem habens erga eam,& Deum cooperatorem poſsidens, indiuulſus permanet,& valde ſtabilis,ſicut cernis, quia & fortitudo atque prudentia,temperantiaque & iuſtitia,virtutes ſunt in ſeparabiles. Habitus enim animæ ſunt, &qualitates &operatiões in profundo illius dimiſſæ. Si enim paſsiones malitiæ,cum non ſint nobis naturales, ſed extrinſecus aduenian,dum in habitum venerint,vix abijci poſſunt:quanto magis virtus naturaliter nobis inſerta ab autore,&ipſum procuratorem habens, ſi modicum laborantibus radicata fuerit in anima,indiuulſa permanebit?

Mundæ orationis vis atq; dignitas deſcribitur,ſub finem vero capitis ad præſentium rerum vanitatem,et futurorū æternitatē contemplandam Ioſaphat admonetur.

CAPVT XX.

Vnde quidam huius operator mihi narrauit,quod poſtquā accepi cōtemplationem diuinā in habitu firmiſsimā, & huius meditatione impinguatā habui animam,volui aliquando conſuetudinem huius abijcere, ſed detinebat mentem meam, non permittēs eam ab

aſſueta meditatione diſcedere. Et cognoui contriſtatam, & grauiter ferentē, & ad ipſam incomprehenſibili inhiantem deſiderio, & nullo modo ad contrariam aliquam cogitationē declinare valentem. Cùm autem modicum laxarem habenas, velociter mox recurrebat ad ſuam operationē, ſicut ait propheta:
Pſalm.4. Quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarū, ita deſiderat anima mea ad Deum fontē viuū. Oſtenſum eſt igitur ex his omnibus, quia in nobis eſt poſſeſſio virtutum, & nos huius domini exiſtimus: ſi tamē velimus hanc tenere, & peccatum reſpuere. Qui enim malitiæ ſeruiunt, radicitus ei inhærent, quemadmodum ſuperius dictum eſt.

Tu autem de cætero liberatus ab ea per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & Chriſtum indutus ſpiritus ſancti gratia, & totum temetipſum transfer ad Dominum: nulloq́; pacto vlterius vitijs aperias ianuā, ſed bono odore, ſplendore virtutū exornando animā tuā, templum illam ſanctæ trinitatis facito, & eius contemplationi omnes mentis tuę virtutes adhibe. Si ergo aliquis cū rege terreno cōuerſans, & ei familiariter colloquens, beatus omnibus eſſe videtur: mente Deum cernere, & cum eo eſſe, ipſumque contemplari aſsiduè, quantæ

beati-

beatitudinis eſt? & ei coniungi, quantę dulcedinis, ſecumq; colloqui per orationem & deprecationem, & ei appropinquare? Nam amore feruentiſsimo & corde mundiſsimo precando, & ab omnium materialium quidem externorum amore cor penitus elongando, cũ timore ac tremore deprecationem ſuam offerendo, talis appropinquat Deo, & quaſi facie ad faciẽ loquitur cum eo. *Vide pro oratione plurima.*

Adeſt enim vbique bonus Deus noſter & dominator, exaudiens illos qui puro corde & ſincero inuocant, & deprecantur eum, ſicut ait propheta: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Et ideo ſancti patres per orationem cõiungi hominem Deo poſſe dicunt, & opus angelorum hanc vocant, futurę lætitiæ prooemium. Nã eam regni cœlorum appropinquationem, & contemplationem ſanctæ trinitatis eſſe, plus omnibus alijs iudicant: ad hanc verò, deuotionis intentio mentem deducit. Conuenienter gratia prooemium, & quaſi præimaginatio illius beatitudinis vocatur iſta. Non tamen omnis oratio talis eſt, ſed quæ appellatione iſta veraciter eſt digna: Deum videlicet habens magiſtrum, qui tribuit orationem deprecanti ſuper omnia quæ in terra ſunt ſubleuata & Domino *Pſalm. 33.*

Deo mundè præſentata.

Hanc tibimetipſi ſolerter acquire, & ad hanc agoniza proficere. Sufficiens enim eſt de terra ad cœlos te ſubleuare. Non enim improuidè, & quaſi caſualiter proficies in ea, ſed ab omnibus vitijs animam tuam purifica, & ab vniuerſa maligna cogitatione illam ablue, vt velut mundum & præclariſsimum fiat ſpeculum. De corde tuo etiam iram & indignationem eijce. Nam hec plus omnibus noſtras orationes ad Deum aſcendere prohibent. Quapropter omnibus in te peccantibus ex corde dimitte offenſas, & de Eleemoſynis & miſerationibus pauperum ipſi orationi alas faciendo, offer eam Deo cum feruentibus lachrymis. Sic orando poteris dicere, quod & beatus Dauid. Hic enim cùm eſſet rex, & plurimis diſtraheretur ſolicitudinibus, ab omnibus tamen ſuam purificans animam, dicebat Deo: Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi

Pſal. 118. Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Sic ergo te vociferante, Deus exaudiet, &

et, & adhuc te loquente dicet, ecce adſum. Vnde ſi talem orationem poſſederis, beatus eris. Impoſsibile eſt enim, hominem cum tali deuotione orantem & obſecrãtem Deum, non quotidie in bono proficere, & cũctos inimici laqueos præteruolare. Nam calefaciendo mentem ſuam (ſicut quidã ſanctorum ait) & animam reſuſcitando, & ad Deum ſemetipſum tranſferendo, ita dominũ ſuum inuocando, memorque peccatorum ſuorum, & pro indulgentia eorũ poſtulando, & lachrymis feruentiſsimis exorando, propitiũ ſibi fieri deum non eſt dubium. Nam pro conſuetudine ſermonum & cogitatuum iſtorum, omnem deponit ſecularem ſolicitudinem, & humanis paſsionibus celſior fit, & Dei colocutor vocari meretur. Quo quid beatius, aut ſublimius eſt? Dignũ ergo te faciat dominus huiuſmodi adipiſci beatitudinem.

Ecce enim oſtendi tibi viam mandatorum Domini, & nõ ſubterfugi quin annunciarem tibi omne conſiliũ Dei. Et ego quidem iam erga te miniſteriũ meũ compleui. De reliquo ipſe præcingens lumbos mentis tuæ, ſecundum illum qui vocauit te ſanctum, & ipſe ſanctus in omni conuerſatione tua eſto. *Leuit.19.*
Sancti enim eſtote, quoniã & ego ſan- *1.Pet.1.*
H 3 ctus

ctus ſum, dicit Dominus. Scribit autē et
1. Pet. 1. princeps apoſtolorum Petrus: Si patrē (inquit) inuocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundū opus vniuſcuiuſque, cum timore incolatus veſtri conſolamini, ſcientes, quod non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternarum veſtrarū traditionum, ſed precioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti.

Hæc igitur omnia in corde tuo repoſita, ſine intermiſsione recole, ante mentis oculos ſemper habendo timorem Dei, & terribile illud iudicium, claritatemque iuſtorum, quam accepturi ſunt in illo ſeculo, nec non & condemnationem peccatorum in tenebris profundiſsimis, fragilitatemque & vanitatem præſentium, & futurorum æternitatem. Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, ſicut flos fœni. Excicatum eſt fœnum, & flos decidit, verbum autem Domini manet in æternum. Hæc meditare ſemper, & pax Dei tecum ſit, & illuminet te, atque intellectum tibi tribuat, ad viamq; ſalutis ducat te, & omnem voluntatē malam longius à tua mente repellat, muniendo animam tuam ſigno crucis, vt nihil tibi appropiet ſcandalorum

maligni

maligni, ſed merearis in omni perfectione virtutum, fructum adipiſci infinitum, & inſucceſsibile regnum, & illuſtrari lumine beatæ ac viuificæ trinitatis in patre, & filio, & ſpiritu ſancto glorificandæ.

Creber ille Barlaam ad Ioſaphatum acceſſus, ſuſpitionem præbuit miniſtris & pædagogis, quare Zardan ſolicitus, regis filium adijt, monens vt à viri Dei conſortio abſtineret. Barlaam autem à Ioſaphato diſcedens, cum multis lachrymis dimittitur.

CAPVT XXI.

TAlibus ergo moralibus ſermonibus inſtruens precioſiſsimis ſenex filium regis, in ſuum abijt hoſpitium. Miniſtri verò iuuenis & pædagogi frequentem ipſius Barlaam introitum in palatium cernentes, mirabantur. Vnus autem qui inter eos præpollebat, quem quaſi fideliſsimum ſibi atque gratiſsimum rex conſtituerat, in palatio filij ſui, Zardan nomine, ait ad filium regis: Noſti vtique domine mi, quantus patris tui timor ineſt mihi, & quanta mea apud eum fides eſt. Ideoque me quaſi famulum fideliſsimum vt tibi ſeruirem præcepit. Nunc autem virũ hunc extraneum frequenter videns colloquẽtem

tibi, vereor ne fortè ſectæ ſit Chriſtianorum, aduerſus quam valde hoſtiliter ſe habet pater tuus. Et ſi hoc eſt, morti feræ condemnandus ſubiacebo ſententię. Nunc ergo vel regi de ipſo notifica, aut amodo ceſſa ab eius collocutione. Si autem iſtud non vis facere, eijce me à facie tua, ne ſim repręhenſibilis, & alium loco mei poſtula patrem tuum huc introducere. Filius autém regis ait ad eum. Hoc ante omnia Sardan fac. Ingredere tu infra cortinam, & audi ipſius ad me ſermocinationem, & poſtea dicam tibi quid te oporteat facere. Venturo itaq; Barlaam ad eum, introduxit Zardan, & poſt cortinam poſuit eum, & dixi ſeni: Recapitula mihi diuinā doctrinam tuam, quatenus cordi meo fortius infigatur.

Exorſus itaque Barlaam, multa de Deo, & de fidei pietate pronunciauit, & quomodo ipſum ſolum oporteret diligere, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & cuſtodire mandata eius cum timore pariter & amore, & quia ipſe factor omnium viſibilium & inuiſibilium. Cum his & primi hominis plaſmationem recommemorauit, datumq́ue ſibi mandatum, & pro præuaricatione à plaſmatore condemnationem. Deinceps etiā bona enumerauit,

quorum

quorum ſpernentes mandatum, noſmetipſos priuauimus. Et rurſus memorauit triſtium, quã: a poſt illorum amiſſionem nos miſerabiliter cõprehendere. Cum his etiam non tacuit, quomodo creator noſtrę ſalutis ſolicitudinẽ gerens, benignitatem ſuã impendit. Nam miſit prophetas vnigeniti filij ſui incarnationem prædicare, & poſtea illius deſcenſionem, incarnationis beneficia, miracula pro nobis ingratis, paſsiones, crucem, lanceam, ſpõtaneam mortem, finem, reſtaurationem noſtram, reuocationem in ſtatum bonum, poſt hæc ſuſcepturum dignos cœlorum regnum, repoſitum malis ſupplicium: videlicet, ignem inextinguibilem, tenebras indeficientes, immortalem vermem, & quãtamcunque aliam pœnam, ſibimetipſis peccati ſerui theſaurizauerunt. Iſta pertranſiens, & immortali doctrina ſermonem ſuum confirmans, multaque de mundicia vitæ diſputans, & præſentium vanitatem demonſtrans, miſeriamque eorum, qui iſtis addicti ſunt redarguens: & ad orationem conuerſus exorabat Deum, vti Ioſaphat non conuerteretur ad priorem errorem, ſed indeclinabilem teneret orthodoxæ fidei confeſsionem, immaculatã vitam, & mundam conuerſationem. Finitaque orati-

tione,ad hoſpitium iterum abijt.

Regis itaque filius Zardan accerſens, & ipſius tentans dilectionē, ait: Audiſti qualia mihi ſeminator verborum iſte dixit, ſeducere me vanis ſuis moliens perſuaſionibus, & alienari à iucunda iſta delectatione & refrigerio, & extraneo ſeruire Deo? Zardan verò ait: Quid tibi viſum eſt Domine mi rex, tentare me famulum tuum? Noui enim profundius in corde tuo deſcendiſſe huius viri ſermones. Niſi enim hoc eſſet, non vtique tam libenter, & inceſſanter cum eo loquereris. Nec etiam nos ignoramus hanc prædicationem. Sed ex quo pater tuus perſecutionē ſęuam aduerſus Chriſtianos excitauit, & ipſi hinc effugati ſunt, ſiluit prędicatio eorū. Si verò nūc beneplacitum dogma illorū apparet, ac duritiam illius ac laborem ſuſcipere pręuales, dirigatur volūtas tua in bonum. Ego verò quid faciam? ad huiuſmodi quidem auſteritatē nec etiam reſpicere valens. Timore verò regis, animo meo in dolorib. & anguſtijs poſito, ſolicitus ſum, quid reſpondeam ei. Nam negligentius illius præceptis inuigilans, hūc ad te intrare virum permiſi.

Tunc ait ad eum regis filius. Ego quidem maximæ tuæ beneuolentiæ erga me, nullam aliam magis congru-

am recompenſationem agnoſcens, hāc dignam tuo beneficio reperi, vt opus iſtud bonum, manifeſtum tibi facerem, vt ſcires ad quid factus es, & creatorem tuum, qui te fecit recognoſceres: quatenus derelinquendo tenebras, ad lucem curreres: moxq́ue vt audires, incomprehenſibili deſiderio illam ſequereris. Sed ſicut video, ſpes mea fefellit me. Nam cerno te durum ad ea quæ dicta ſunt, atque ſtolidum. Si verò iſta regi & patri meo manifeſtaueris, nihil aliud efficies, quām curis atque triſtitia animum illius replebis. Sed ſi illi gratiam vis impendere, nullo modo vſque ad tempus opportunum quicquam de eis annuncies. Talia quidem ad ipſum loquens, in aquis viſus eſt ſeminare. Nam in animam ſtultam non introibit ſapientia. Sap. 1.

Mane ergo Barlaam veniens, de profectione ſua loquebatur. Ioſaphat autem huius non ferens ſeparationem, animo triſtabatur, & lachrymis oculi illius replebantur. Multa tunc ſenex ei locutus eſt, & vt immotus permaneret in bono, conteſtabatur, verbisq́ue conſolatorijs cor illius ſtabiliuit: & vt ſe alacriter dimitteret, precabatur: ſimul & prædixit, quod non poſt longum tempus denuò ſociarentur ipſi ſocietate inſepara-

bili. Tunc ergo regis filius nolens amplius ſeni labores iniungere manēdi, & ab itinere quod deſiderabat, eum prohibere, ſimul etiam metuens, ne manifeſta de ipſo Zardan ille regi faceret, & tormentis ipſum ſubijceret, dicit ad eū: Quoniam quidē tibi hoc viſum eſt pater ſpiritualis, & magiſtrorum optime, ac mihi boni totius autor me ſic derelinquere, & cum mundi vanitate adhuc conuerſari: tu verò ad ſpiritualis quietis tuæ locum vis pergere, vlterius te detinere, & impedire non audeo. Vade igitur in pace à Deo cuſtoditus, & meę miſerię in ſanctis operationib. tuis memor eſto propter Dominum, vt valeamus venire ad te, & venerandam faciem tuam ſemper videre.

Sed fac vnam meam petitionem. Quoniam quidē noluiſti accipere pro fratribus tuis, ſuſcipe ſaltem pro temet ipſo modicam aliquam pecuniam ad victum & veſtitum. Ille autem reſpondit ei: Si pro fratribus meis à te quicquam non accepi (non enim illi indigent mūdi materias ſuſcipere, à quibus volentes elongauerunt ſe) quomodo mihimetipſi aſſumam, quod illis denegaui? Si enim bona eſſet pecuniarum poſſeſsio, illis vtique potius quàm mihi eas tradidiſſem: quoniam verò fragilem ipſarum

rum noui poſſeſsionem eſſe, neque illos, neque meipſum talibus ſuppono laqueis. Quia verò in hoc obedire non acquieuit Barlaam, rurſus ſecundam petitionem facit Ioſaphat, ne penitus ipſius deprecationem ſperneret, & in omni illum dimitteret defectione, ſed relinqueret ei laneum illud veſtimentum & aſperum pallium, & tam in memoriam religionis magiſtri, quàm ad monumentum ſibi contra omnem ſatanæ operationem: ſuſciperet etiam aliud à ſe pro ipſo, vt vtique à me datum (inquit) cernens, meam ſemper in memoria feras humilitatem.

Senex verò ait: Vetus quidem ac ſciſſum tibi dare, & nouũ veſtimentum accipere nõ decet, nec modici laboris mei retributionem in hac vita recipiam. Vt autem tuam deuotionem non amputem, vetera & quæ nihil à meis differant, quærantur ciliciola, & illa ſuſcipiam. Quæſita ſunt igitur, & data ſunt ſeni. Cuius Ioſaphat & ipſe indumentum ſuſcipiens, vehementer gaudebat, omni purpura regali & veſte coccinea precioſius illud incomparabiliter exiſtimans.

Tunc ſanctus Barlaam poſt paululũ diſceſſurus, nouiſsimam ei doctrinam adhibuit, dicens, Frater dilectiſsime, &

fili dulciſsime, quem per euangelium genui, ſcito cui militas regi, & apud quem confeſsiones tuas depoſuiſti. Oportet ergo vt firmas iſtas cuſtodias, & militiæ deuotus compleas, quantacunque promiſiſti in charta confeſsionis omnium domino, præſente cœleſti exercitu & teſtificante, nec non deſcribente confeſsiones tuas: quas ſi cuſtodieris, beatus eris. Nihil igitur præſentium, Deo, & ipſius præferas bonis. Quid enim ſic terribile eſt in hac vita, quomodo eſt gehenna ignis æterni ardentis, nec prorſus lucem habentis, cruciantis, & nunquam deſinentis. Quid autem rurſus mundi bonorum taliter lætificat, ſicut Deus idem ipſe diligentibus ſe donaturus? Cuius pulchritudo quidem ineffabilis, potentia verò inexpugnabilis, & gloria ſempiterna: cuius bona ſuis amicis repoſita, omnibus viſibilibus incõparabiliter ſupereminent:
1. Cor. 2. quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: quorum hæres fieri merearis, Dei manu potentiſsima conſeruatus.

Tunc filius regis lachrymis perfuſus, mœrore & luctu detinebatur, à patre tam amabili, & magiſtro optimo derelinqui non ſufferens, aiebat: Quis mihi pater vicem tuã ſupplebit, aut vbi talem

paſto-

paſtorem & ducem ſalutis animarũ reperiam? Quod vice tua amoris ſolatiũ capiam? Ecce enim malum ſeruum & apoſtatam Deo recõciliaſti, & in filij et hæredis ordine conſtituiſti, & qui perieram & errraueram, & omni beſtiæ expoſitus eram ad deuorandum, me requiſiſti, & eis quæ non errauerant Dei ouibus copulaſti, & oſtendiſti mihi compendioſam veritatis viam, educens me de tenebris & vmbra mortis, & pedes meos transferens de lubrica & mortifera, & diſtorta atq; praua via, magnorũ mihi & mirabilium factus es autor bonorum: quorum nullus ſufficiet ſermo excellentiam referre: magnorum & ipſe propter me paruum, efficieris particeps Dei bonorum, & quod meæ deeſt gratiarum actioni, compleat Dominus, qui ſolus vincit donorum retributionibus diligentes ſe.

Barlaam itaque lamentationem illius amputare volens, ſurrexit, & in oratione ſtans, eleuatis manibus ſuis ad cœlum, ait: Deus pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui illuminaſti quæ obſcura prius erãt, & viſibilem iſtam & inuiſibilem creaturam de nihilo feciſti, & tuum plaſma ad te conuertiſti, & non permiſiſti nos poſt inſipientiam noſtram abire, gratias agimus tibi & tuæ virtuti, &

ti,& ſapiētiæ,domino noſtro IeſuChri ſto,per quem & ſecula feciſti, noſque qui cecideramus reſuſcitaſti, & delinquentibus peccata dimiſiſti,errantes reduxiſti,captiuos redemiſti, mortuos viuificaſti precioſo filij tui ſanguine. Te ergo inuoco,& vnigenitum filium tuum,& ſanctiſsimum tuum ſpiritum, reſpice ſuper hanc rationabilem ouem tuam,accedentem per me indignum ad ſacrificium tuum,& ſanctifica ipſius animam tua virtute & gratia, & conuerte vineam iſtam tuo ſancto plantatam ſpiritu,& da ei ferre fructum iuſtitiæ, conforta illam diſponendo in ea teſtamentum tuum,& eripe illam à diabolo,ſapientia boni ſpiritus tui.Doce illum facere voluntatem tuam,& auxilium tuū ne auferas ab eo. Dignare eum mecum indigno famulo tuo ęternorum bonorum tuorum hæredem fieri, quoniam benedictus es & glorioſus in ſecula, Amen.

Conſummata ergo oratione, conuerſus,oſculatus eſt filium,eiq́; cœleſtis patris pacem & ſalutem imprecando,exijt de palatio:& ibat gaudens,& gratias agens Deo,qui proſperam fecit viam eius in bonum.

Poſt diſceſſum Barlaam Ioſaphat ad orationem conuertitur, Iudicio Zardan patri proditur, qui furore percitus Arachim virum primarium cum militibus ad Barlaam à fuga retrahendum deſtinat, qui vbi in monachos ſanctorum reliquias in pera ferentes, incidiſſet, plagis & verberibus pene enectos, quod Barlaam prodere nollent, ad regem captos pertrahit.

CAPVT XXII.

IOſaphat verò poſtquam Barlaam egreſſus eſt, in orationem ſemetipſum dedit, & lachrymis feruentiſsimis dicebat: Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me feſtina. Quoniam tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Reſpice in me, & miſerere mei, quia omnes vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1.Tim.1.
Saluum me fac, & conforta me indignum, vt ambulem per viã mandatorũ, quoniamquidem ego debilis ſum & infirmus, & ad faciendũ bonum inſufficiens, ſed tu me potes ſaluum facere, quia omnia viſibilia & inuiſibilia contines & ſuſtines. Ne dimittas me poſt voluntates, carnis vias ambulare, ſed tuam doce facere voluntatem, & conſerua me in æterna & beata vita tua. Pater & fili & ſpiritus ſancte, conſubſtantialis & indiuidua deitas, te inuoco & te glorifico.

fico. Te enim laudat omnis creatura, & te glorificant intellectuales incorporalium virtutes in ſecula: Amen.

Ioſaphat nouus effectus fidelis viuebat in abſtinentia, orationibus et vigilijs.

Ex tunc itaq; Ioſaphat omni cuſtodia attentebat ſibimetipſi, puritatẽ animæ pariter & corporis vigilantius ſeruans, in abſtinentia viuens, & in orationibus totis noctibus. Diei nanque ſæpius partem amputabat, eorum qui ſecum erãt commoratione præpeditus. Fiebat aliquando ei & regis ad illum aduentus, aut eius ad ipſum regem vocatio. Sed nox ei quod deerat diei, ſupplebat in orationibus & lachrymis vſque ad auroram eo perſeuerante, & Deum inuocante. Vnde propheticus ille ſermo in eo complebatur: In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.

Pſal. 113.

Zardan verò ille illius ſentiens conuerſationem, triſtititia replebatur, curisque malis in animo agitatus, neſciebat qualiter euaderet, aut ad quem finem peruenire poſſet. Triſtitia ergo cõprehenſus, in domum ſuam abijt, & ægrotare ſe ſimulauit. Vt autem in notitiã regis iſtud peruenit, alium pro illo miniſtrare filio direxit. Ipſe ſalutis Zardan ſolicitudinẽ gerens, medicum mittit ei probatiſsimum, & multũ curationis ſtudiũ ei iubet impendere. Medicus

itaque

itaque ſciens quod Zardan ſic regi charus erat, vigilanter ei intendebat. Qui cum de illo certius agnouiſſet, regi protinus nunciauit, dicens: Ego quidem nullius infirmitatis cauſam in homine iſto inuenire valeo. Exiſtimo tamen quod defectione quadam obſeſſus ſic infirmetur. Rex autem his auditis, ſuſpicatus eſt grauiter ei filiũ indignatum fuiſſe, & huius rei gratia contriſtatum Zardan, ab eo diſceſsiſſe. Diſcere autem rem volens, mandauit illi quod craſtina die (inquit) ad te viſendum veniam, vt quæ tibi accidit, ægritudinem agnoſcam.

Tunc Zardan hoc audito nuncio, ſummo diluculo induens ſe veſtimento ſuo, pergit ad regem. Et ingreſſus, adorauit eum ſuper terram Rex autem ait: Quare vim tibimetipſi intuliſti vt venires ad me? Nam ipſe volebam te viſitare, & amicitiam quam erga te habeo, omnibus demonſtrare. Cui ipſe ait: Mea ô rex, infirmitas non eſt de his quæ ſolent hominibus contingere ægritudinibus, ſed ex triſtitia & abundantia animæ: & corde dolente, condoluit & corpus. Stultitia magna eſſet, cũ ita ſim, ſi non ad tuum vt poteſeruus, veniſſem imperium, ſed tuum regnum expectarem fatigari vſque ad famulum

tuum

tuum. Rege ergo ſciſcitante, quæ defe-
ctionis tuę eſt cauſa, reſpondit Zardan:
Magnum mihi periculum imminet,
& maximè ego dignus ſum tormentis,
multarumque etiam mortium reus exi
ſto, quia tuis præceptis negligenter ob-
audiens, triſtitiæ tibi multæ cauſa pau-
lo antè effectus ſum. Iterum rex inter-
rogauit eũ: Et quæ eſt iſta negligentia,
vel quis eſt timor qui circumdedit te?
Reſpondit ille: Circa dominum meum,
filium tuum, negligentius vigilaui. Nã
quidam malignus homo & magus
veniens, locutus eſt ei quæ ad ſectam
Chriſtianorum pertinent. Deinde nar-
rat minutatim regi ea quæ filio eius à
ſene dicta ſunt, & cum quanta dilectio
ne ac deſiderio idem filius ſermonem
ſuſcepit, & quomodo totus Chriſti eſt
effectus: inſuper & ſenis vocabulum ſi-
gnificat, Barlaam hunc vocari dicens.

Audierat autem rex prius de Barla-
am, & de ſumma abſtinẽtia eius. Vt au
tem in aures iſta peruenerũt regis, mox
conturbatus eſt, & obriguit, repletusq;
eſt furore, & mentis inſania agitabatur;
fecitq; accerſiri ſtatim Arachim quen-
dam nomine, qui ſecundus erat à rege,
& primus ei in omnibus conſilijs ade-
rat, ſimul etiam aſtrologicæ artis ſcien-
tia nimium pollebat. Cui ad ſe vocato,
rex

rex quod ſibi contigerat cum defectione multa, & animi deſtitutione narrat. Ille ergo conturbationem illius, & confuſionem animi conſiderans, ait: O rex, noli conturbari & contriſtari, non enim deſpero me poſſe ſuadere ei quod volo, ſed certo certius cognoſco, ſtatim ipſum negaturum illius ſeductoris doctrinam, & tuæ conſenſurũ voluntati.

His ergo ſermonibus Arachis regem animo quietiorem reddit. Deinde erga negotij meditationem & conſiderationem ſe totum contulit, & ait: Ante omnia rex iſtud faciamus, malignum Barlaam comprehendere feſtinemus. Etſi hunc conſequi poterimus, noſtra intentione non priuabimur, neq; à ſpe noſtra decidemus. Sed idẽ ipſe aut verbis perſuaſorijs, aut diuerſis tormentorum generibus coactus, etiam nolens confitebitur falſa & erronea ſe dixiſſe, & dominum meum, etiam filium tuum, ad ſequendum paternum dogma ſuadebit. Si verò illum comprehendere nequiuerimus, alium ego cognoſco ſenem eremitã ſolitarium, qui Nachor vocatur, ſimilem Barlaam per omnia: quem non facile eſt dignoſcere, illum Barlaã non eſſe. Sed iſte de noſtra ſecta eſt, & magiſter meus in literarum eruditione fuit. Hunc ergo allocutus adibo nocte, cun-

ctaque

ctaque per ſingula ei notificabo. Deinde captum eſſe Barlaam diuulgantes, hunc exhibebimus, qui & Barlaam ſemetipſum nominabit, & dogmata Chriſtianorum tueri ſimulabit. Qui poſt multam diſputationem, quaſi reſponſione deficiens, potenter ſuperabitur. Cum iſta filius regis viderit, quod Barlaam quidem victus erit, noſtri verò victores, victoribus omnino palmā dabit, libenterque tuum regnum timebit, & tibi, quæ grata ſunt facere nō tardabit. Conuertetur inſuper & ille, qui perſonam Barlaam ſimulabit, & erraſſe ſemetipſum confitebitur.

His igitur auditis rex gauiſus eſt nimis, & optimū reperiſſe Arachim conſiliū arbitratus eſt. Vanæ etenim ſpei incūbebat. Quia verò Barlaā nouiter diſceſsiſſe cognouerat, apprehendere eū feſtinabat. Inſidiatoribus igitur & lāceariis miſsis, plures exitus viarum occupauit. Vnam verò ex ipſis omnibus me tuebat, quam ipſe aſcenſis equis indecli nabiliter tenens, celerius præoccupare eum proculdubio ſperabat. In totis verò ſex diebus laborans, vanè fatigatus eſt. Deinde ipſe quidem in quodam regalium palatiorum in villa poſito reſtans, Arachim cum militibus non paucis, vſque ad Sennaritidem eremum ad

inqui-

inquiſitionem Barlaam direxit. Perueniens itaq; ille ad locum, omnes vicinos conturbauit: Quibus non ſe vidiſſe virũ aſſerẽtibus, ad deſerta ipſe princeps pios venaturus exijt: multoque eremi tranſmiſſo ſpacio, montes circundedit & valles inuias, et prerupta quædam pedibus & manibus reptando cum turba quæ ſecum erat, ad crepidinem montis cuiuſdam peruenit. Super quam ſtans, videt ſub ipſo monte cuneum eremitarum ambulantem. Et ſtatim præcepto principis omnes ſuper eos vnanimiter irruunt, alius alium curſibus præuenire contendentes: & præuenientes circundederunt eos, quaſi canes multi, & beſtiæ quædam feroces & inhumanæ. Et tenent viros ſpecie & habitu venerandos, & ſigna eremiticæ conuerſationis in vultibus ferentes. Et hos trahentes exhibent principi, non tumultuantes omnino, nec quicquam pauidum aut triſte oſtendentes, vel pronunciantes. Ille verò qui præcedebat eos ſicut abbas, peram portabat laneam, plenam reliquijs quorundam ſanctorum patrum.

Abbas Monachorum deferebat ſecum perã laneam plenã reliquijs ſanctorum patrum.

Conſiderans verò ipſos Arachis, poſtquam non vidit Barlaam (agnoſcebat quippe eum) contriſtatus eſt valde, & dixit ad eos: Vbi eſt erroneus ille qui filium

filium regis ſeduxit? Tunc ille qui peram geſtabat, reſpondit: Non eſt ille inter nos. Abſit. Fugit enim nos, Chriſti gratia repulſus, ſed in vobis habitationes habet. Ait princeps: Cognoſcis ergo illum? Etiam (inquit) eremita. Noui ſeductorem illum, qui eſt diabolus, qui in medio veſtri habitat, & apud vos latitat, & ibi procuratur. Princeps autem dixit: De Barlaã ego te requiſiui, & diſcere cupiens vbi ſit, interrogaui te. Monachus autẽ ait. Et cur aliud pro alio locutus, & de illo qui ſeduxit filiũ regis, interrogationẽ intuliſti? Si enim Barlaam quæris, oportebat vtique te dicere: Vbi eſt qui de errore conuertit, & liberauit filium regis? Ille enim frater noſter eſt, & ſanctę conuerſationis, ſed ex multis iã diebus non vidimus eum. Et ait princeps: Habitaculũ illius nobis oſtende. Eremita reſpondit: Si videre vos voluiſſet ille, vtique in occurſum exijſſet: nobis verò non licet cellam illius vobis demonſtrare.

Furore igitur ſuper hoc repletus princeps, dixit ad eum iracundè pariter ac crociter eũ conſpiciens: Extranea quidem morte vos interficiam, niſi continuo Barlaã exhibueritis mihi. Et quid (inquit) eremita mũdialiũ cernis, quod tenacius amantes, præſentem timeamus

mus vitam amittere, & à te intentatam formidemus mortem? Potius enim gratias tibi confitebimur, ſi nos virtutum amatores præſenti ſubduxeris vitę. Nō mediocriter enim finis noſtri timemus incertitudinem, ignorantes quomodo illum ſumus conſecuturi, ne fortè voluntatis lubricum, vel tentatio quęlibet diabolica pręelectionis ſtatū peruertat, & alia ſapere aut facere, quàm Deo promiſimus, ſuadeat. Vnde vos adipiſci quę ſperatis penitus deſperantes, ne tardetis facere quod eſtis facturi. Neq; enim adeò dilecti fratris noſtri habitaculū, etiam ſcientes, demonſtrabimus, neq; aliqua alia nobis latentia monaſteria prodemus. Sic mortē effugere, peſsimū iudicamus. Optimum verò nobis erit ſi moriamur, ſudorē virtutis prius, & nūc ſtrenuitatis ſanguinem Deo offerentes. Ita confidenter loquentes non ſuſtinēs miſer, ſed aduerſus fortitudinem prudētiæ celerrimè commotus, multas eis impoſuit plagas & tormenta, quorū magnanimitas & fortitudo etiā tyranno dignæ miraculo viſæ ſunt. Vt aūt poſt multos cruciatus ſuadere nō potuit, vt aliquis eorum, cellam Barlaam ſibi vellet oſtendere, aſſumens iſtos, ad regem iubet eos ducere, geſtantes etiam peram reliquiarum.

Eremitarum captorum princeps ſciſcitanti regi quare oſſa mortuorũ patrũ circũferrent, aperit, ac conſtãter ſuper Chriſtiana religione cũ rege diſputans, cũ alijs decẽ et ſex ſui ordinis monachis, pulchrã petijt per martyrij varios cruciatus & vulnera, mortẽ.

CAPVT XXIII.

POſt dies ergo non modicos venerunt ad regẽ, cui Arachis de illis nota fecit omnia. Deinde pręſentat eos ante faciem regis atrociter furentis. Quos cum vidiſſet, furore ſuccẽnſus eſt: & furioſo ſimilis, cædi illos immiſericorditer iubet. Poſtquam autẽ vidit eos crudeliter plagis laceratos, vix à multa reſpirans inſania, quieſcere cædentes iubet. Et ait ad illos: Cur oſſa iſta defunctorum circumfertis? Si ergo illos amãtes, oſſa eorum baiulatis, hac hora ponam & vos cum ipſis, vt deſideratos adepti, grates nobis exinde referatis. Diuinæ huius cohortis princeps & magiſter pro nihilo regis minas computans, acſi nihil triſte contigiſſet ei, libera voce & ſereno vultu, & habitantem in ſe gratiam ſignificans, ait:

Nota hæretice qui ſanctorum reliquijs detrahis quam ſublimia hic dicantur de oſſibus

Oſſa iſta munda & ſancta circumferimus ò rex, illorum repręſentãtes mortem, quorum ſunt, mirabilium virorũ, & exercitij eorũ, & adeo dilectę cõuerſationis in memoriam noſmetipſos redu-

ducētes, & ad ſimilem zelū excitantes, requiem quoq; ſpeculantes, & delicias in quib. modò conuerſantur. Hos quia beatificamus, & inuicem noſmetipſos exhortamur, & eorū ſequi veſtigia ſata gimus, inſuper et mortis nobiſmetipſis aſsiduè memoriam præſentamus, valde vtilē exiſtentē, et à ſanctę cōuerſationis agones deuotius erigentem, & ſanctifi cationem nobis horū tactu haurimus. Rurſus aūt rex ait: Si vtilis eſt mortis memoria (ſicut dicitis) cur nō in corpo rum veſtrorum oſsibus huius accipitis memoriam, proprijs veſtris, & paulò poſt corrumpēdis, ſi alienis iſtis et iam corruptis aſſumitis? Tūc monachus ait: Cum ego quidem cauſas quinq; dixerim, cur ſanctorum reliquias circunferi mus, ad vnam eorum reſpondendo, ſub ſannare nos videris, ſed luce clarius no ſti, quod oſſa mortuorum mortis exhibent memoriam viuentib. & quoniam iſta ſic eſſe cognoſcis, & in carne tua oſ ſa mortē tibi ſignificant: cur nō & ipſe paulo poſt vēturę memor mortis, bene quæ tua ſunt diſponis, ſed omnib. quidē animam tuam tradidiſti impietatib. violenterq; & immiſericorditer interfi cis ſeruos dei, qui in nullo te lædunt, ne que præſentium aliquid tecum diuidunt, aut auferre contendunt.

eorum, et quomodo etiam ad illorum tactū hauriatur ſanctificatio.

Reliquiarum mortuorum vtilitas.

Cui rex ait: Malè vos, & populos ſeducitis, et monetis vt à delectationibus ſeculi diſcedant, & pro dulcedine vitæ, & deſiderantiſſima concupiſcentia & voluptate, duram & ſordidam ac miſeram iſtam eligere conuerſationem cogitis, & deorum honorem, Ieſu deferendum eſſe prædicatis. Ne ergo veſtrum ſequentes errorem, populi deſertam terram derelinquant, & à paternis dijs recedentes alieno ſeruiant, tormentis vos et morti ſubijcere, ęquum iudicaui. Cui monachus ait. Si omnes participari bonorum deſideras vitæ, cur non omnibus æqualiter largiris delicias atque diuitias, ſed multo pluribus inopia laborantibus, tu quæ eorum ſunt diripiens, tuis apponis? Non ergo pro multorum ſolicitus es ſalute, ſed etiam impinguas carnem, materiam præparans vermium deuorationi. Propterea & omnium abnegans Deum, eos qui non ſunt deos appellas, totius ſceleris inuentores, vt tu ſecundum imitationem eorum luxuriando, & ſcelera exercendo, imitator appellari deorum tuorum valeas. Qualia nanque dij veſtri egerunt, cur non & obedientes eis homines, agerent? Errore igitur magno erras ò rex. Metuis enim, ne aliquos de populo ſuadeamus nobis conſentientes diſcedere manu

tua,

tua, & omnia continenti offeramus manui.

Vis enim multos eſſe qui tuæ ſeruiant auaritiæ, vt ipſi quidem miſeri ſint, tuo verò quæ eorum ſunt lucro proueniant. Quemadmodum aliquis canes nutriẽs, aut accipitres venandi ignaros, ante captionem quidem blandiri eis videtur: cum autem venationis aliquid comprehenderint, violenter de ore ipſorum quod captum eſt, extrahet: ſic & tu multos habere volens, redditus tibi & vectigalia, atque cenſum de terra & mari afferentes: dicis quidem ipſorum ſolicitudinem te gerere ſalutis, perditinem verò eis præparans æternam, ante omnes proculdubio timetipſi, vt ſolũmodo tibi quaſi ſtercorum & cœni inutilitatis fluant diuitiæ lethargiam patiens, tenebras pro lumine approbans. Sed euigila de graui ſomno iſto, & aperi clauſos oculos tuos, & vide vbique ſplendentem omnibus Dei noſtri gloriam, & tu aliquando teipſum ſeruum illius facito. Intelligite enim inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Intelligite ergo, quia non eſt deus ſicut Deus noſter, & non eſt ſalus niſi in ipſo.

Tunc rex ait: Ab hac tua ſtulta nugacitate quieſcens, Barlaam ilico oſtende

mihi, aut experieris tormentorum genus, quorũ nunquam experientiam accepiſti. Sapiẽtiſsimus ergo ac cõſtantiſſimus eremita, & cœleſtis amator philoſophiæ, nullo modo minas illius formidabat, ſed intrepidus permanens, dicebat: Non ea quæ tu imperas facere, ò rex, iuſsi ſumus, ſed præcepta Domini
Pſal. 39. Dei noſtri, qui ſobrietatem nos docuit, & à præſentibus delectationibus, & deſiderijs abſtinere, & fortitudinem exercere, & omnem tribulationem pro iuſtitia ſuſtinere. Quanto ergo nobis pro pietate deteriora intuleris, tanto præſtantius beneficium exhibebis. Fac igitur quod vis, nobis enim extra quod cõuenit agere, aliquid non eſt congruum, nec vllum peccato dabimus aſſenſum. Non autem hoc paruum putes eſſe peccatum, ſi confratrem noſtrum & commilitonem in tuis tradiderimus manibus. Sed de nobis hanc deriſionem nunquam facies, etiamſi innumerabilibus nos ſubieceris mortibus. Non enim ita debiles ſumus, vt formidine tormentorum tuorum, noſtram prodamus philoſophiam, & indignum aliquid agamus diuina lege. Quid plura? Quodcunque noſti tormentorum genus adhibe: nobis enim viuere Chriſtus eſt, & mori pro eo lucrum optimum.

Super

Super his ergo furore accenſus tyrannus, iuſsit diuinas ipſorum abſcindi linguas, erui verò oculos, manusque ſimul & pedes detruncari. Data igitur ſententia, apparitores quidem circumſtantes atque lictores, inhumanè & immiſericorditer ſummitates membrorum detruncabant. Et linguas quidem eorum vncinis detrahentes, crudeliter abſcindebant, oculos verò ferreis vnguibus eruebant, pedes & manus ſecuribus abſcindebant. Beati igitur illi, & omni reuerentia digni, animo conſtanti quaſi ad epulas inuitati, viriliter accedebant ad tormenta, inuicem ſemetipſos exhortantes, & ad mortem propter Chriſtum ſine timore accedentes. In talibus ergo & tam diris tormentis perſeuerantes, animas ſuas ſacri eremitæ illi Domino tradiderunt, decem & ſeptem numerum perficientes. Manifeſtum eſt ergo, quod rector eſt paſsionum pius animus, ſicut quidam noſtrorum ait, agones referens cuiuſdam ſenioris ſacerdotis, & ſeptem iuuenum matre conſentiente agonizantium pro paternibus legibus, quorum perſeuerantia & magnanimitate, iſti ſimiles extiterunt admirandi patres, ſupernæ Hieruſalem ciues & hæredes.

Arachus protoconſiliarius regis aſtrologum quendam, cui Nachor erat nomen, ſubornat, qui ſe Barlaam ſimulet, ac regis filium à ſententia deducat. Interea rex filium corripit, quod ab idolis deſciuerit ad Chriſtum, ſed cum nihil proficeret, ira inflammatus acerba, omnia comminatus eſt, niſi religionem mutaret.

CAPVT XXIIII.

HIs ita piè conſummatis, protoconſiliario ſuo rex Arachi dixit: Primo irrito facto, ad ſecundum conſiliũ reſpice, & Nachor illum accerſire. Arachis itaq; intempeſta nocte ſpeluncam illius adijt. Nam in deſertis habitabat, diuinationũ vacans artibus. Tunc omnibus ei conſiliorum adinuentionib. reſeratis, ad regem ſummo diluculo rediit, & equitibus rurſus ab ipſo poſtulatis & acceptis, ad perſcrutandũ Barlaã egredi ſimulauit. Exeunti verò, & deſerta circumeunti, apparet vir quidam de valle quadam egrediẽs: illoq; ad perſequendum eum precipiente, conſequũtur eum velocius, & comprehendentes ad ſe adducunt. Illo verò ſuſcitante, & quis eſſet, et cuius profeſsionis, aut quis vocaretur, ille Chriſtianum quidem ſe metipſum vocauit, Barlaam verò nominauit, ſicut edoctus erat. Gaudio itaq; repletus Arachis ſicut apparebat, hoc aſſum-

aſſumpto, celerius ad regem reuertitur, & iuſſus eſt ad regem intrare.

Et ait rex in audientia omnium aſsiſtentiũ. Tu es dæmonis operator Barlaam? Reſpondit ille: Dei operator ſum, & non dæmonum. Noli ergo malũ dicere mihi. Multas enim mihi gratias agere debes, quia filium tuũ Deum colere docui, & ab omni errore liberaui, & vero reconciliaui Deo, & omni virtutũ ſpecie adornatum reddidi illũ. Kurſus autem rex quaſi iratus ait: Iuſtum eſſet equidem, vt ſermonis pariter & reſponſionis tibi facultate ſublata, abſque vlla interrogatione morti tradereris: ſed ſuffero te propter naturaliter mihi inſitã humanitatem, vſque ad conſtitutum diem. Perſcrutabor nempe de te. Et ſiquidem obedieris mihi, indulgentia dignus eris: ſin autem, malè peribis. Sic locutus, Arachi illum tradidit, cuſtodiri diligentiſsimè mandans.

Sequenti igitur die ſurgens inde, ad ſuum redijt palatiũ. Et auditum eſt, captũ eſſe Barlaam, peruenitq́ue fama vſque ad regis filium. Quod cum audiſſet, vehementer animo doluit, & nullo modo à lachrymis abſtinere potuit. Gemitibus & lamentationib. Deum exorabat, et in auxilium ſenis, inuocabat eum. Nõ deſpexit vero illũ, nec diutius

affligi permiſit benignus ac miſericors Deus. Præſto nanq; eſt omnibus inuocantibus eum in die tribulationis, et cognoſcit eos qui colunt illum. Qui & iuueni per viſionem nocturnam notificat, & fortitudinem illi immittit, & ad pietatis confortat agonem, & fiduciam præſtat, gaudioq́; plenum & confidentia, & lumine dulciſsimo paulo ante cō triſtatum, & dolore plenum, cor ſuum reperit. Rex itaque ſic iſta peragens, & ita conſiderans, gratulabatur, bene prouidiſſe exiſtimans, & Arachi immenſas reddebat grates. Sed mentita eſt ini-
Pſal.20. quitas ſibi (ſicut ſanctus Dauid ait) & iuſtitia vincit iniquitatem, perfectius ipſam deiectura, & memoriam illius diſperditura cum ſonitu, prout in ſequentibus ſermo declarabit.

Poſt duos autem dies, pergit rex ad palatium filij ſui. Et hunc in occurſum patris egreſſum, non oſculatus eſt pater vt ſolebat, ſed indignato & quaſi irato ſimilis ingreſſus eſt regale cubiculum, & mœſtus ſedit. Deinde filium aduocans, ait: Fili mi, quę eſt iſta fama, quæ auribus meis inſonuit, & defectionibus animam meam comburit? Nullus enim hominum tanto fuit repletus aliquando gaudio in filij natiuitate (prout arbitror) quantum egǫ in

tua:

tua: neque rurſus contriſtratum eſſe puto, ſicut tu me nunc in triſtitiam depoſuiſti, & meam inhonoraſti caniciē, lumenque abſtuliſti oculorum meorum, & meorum vires excidiſti neruorum. Timor enim quem timebam de te euenit mihi, & quod verebar accidit mihi, & factus ſum inimicis meis in deri ſum, & aduerſarijs meis in deluſione. Indiſciplinata mente & infantili conſilio ſeductorū verbis obaudiens, et cō ſilium male ſapientium meo præferens, & noſtrorum deorum cultum derelinquens, alieno ſeruiſti Deo. Quare fili hæc feciſti ſic? & quem ſperabam cum omni nutrire & educari cuſtodia, & ſenectutis habere baculum & fortitudinem, regnique ſucceſſorem optimū derelinquere, ea quæ inimicorum & hoſtium ſunt, non erubuiſti oſtendere mihi in te?

An non oportebat mihi amplius obedire te, & mea ſequi dogmata, quàm doloſi & putridi ſenis obaudire fatuitati & ſtultiloquijs, amaram tibi pro dulci ſuggerentis viam, & pro amantiſsimis delicijs duram & aſperā pergere viam, quàm filius Mariæ ambulare præcepit? Non timuiſti etiam maximorum deorum indignationem, ne fulmine te interficiant, aut hiatu ter

ræ abſorbeant, qui tanta nobis bona fecerunt, vt diuitijs & potentia, ac diademate regni nos ornarent, & gẽtes innumeras nobis ſubijcerẽt, & te præter ſpẽ per orationẽ meã, et deprecationẽ naſci facerẽt, et dulciſsimo iſto participare lumine concederent: Hos contẽnens atq; deſpiciẽs, crucifixo adhęſiſti, ſeductus inanibus verbis famulorũ illius, qui, neſcio quæ fabulosè dicũt futura ſecula, & mortuorum corporum reſurrectionem delirant, & alia plurima ad ſeductionem ſtultorum introducentes.

Sed nũc fili chariſsime, mihi patri tuo acquieſce, & longè àb iſtis deliramẽtis ſecedendo, veni, & ſacrifica pijs ac manſuetis dijs centũ tauros, ſi fortè libaminibus eos placare poterimus, vt veniã tibi offenſionis præbeant. Nam potentes ſunt & fortes, tam ad benefaciendum, quàm ad inferenda ſupplicia. Atqui dictorum exemplum nos eſſe poſſumus, qui eorum miſericordia ad hũc principatum peruenimus. Ideoq́ue grata illis ſeruitia rependimus, et eorũ cultoribus honores, & eis ſacrificare contemnentibus tormenta exhibentes. Multa ergo talia vaniloquia rege percurrente, & noſtra quidẽ irridente ac reſpuente, idola verò efferente atque laudante: vidẽs ſanctiſsimus iuuenis, quod

non

nõ oporteret iam rẽ in angulo et occul to,ſed ſuper candelabrũ in excelſo poni, vt manifeſta fiat omnibus, confidentia ſimul & conſtantia repletus,ait.

Quod circa me actum eſt domine pater, nunquam negabo. Tenebras effugi, ad lumen cucurri, & errorem deſerui, veritati acquieui, & dæmonibus abrenunciaui, Chriſtoque fœderatus ſum, Dei patris filio & verbo, per quem totum quod eſt, factum eſt, qui & hominem de limo terræ formauit, et vitalem ei flatum indidit, & in paradiſo deliciarum poſuit conuerſari. Pręuaricantem verò mandatum illius, & morti addictum, poteſtatiq; diaboli rectoris tenebrarum ſubditum, non deſeruit, ſed omnia patiendo, ad antiquũ honorem volens eum reducere, totius factor creaturæ, & noſtri generis autor, homo factus eſt propter nos, de virgine ſancta natus, in terra cum hominibus conuerſatus eſt, & pro nobis indignis & ingratis famulis ſuis Dominus mortem ſuſcepit, & mortem crucis, quatenus ſolueretur peccati dominium, & prima condemnatio deſtrueretur, & cœlorum portæ rurſus nobis panderentur. Illuc enim noſtram naturam eleuauit, & in throno gloriæ col locauit, regnumque perenne diligenti-

bus ſe donauit, & bona meliora verbi auditu contulit. Ipſe enim eſt fortis & ſolus potens, rex regnantium, & dominus dominantium, cuius imperium inexpugnabile, & poteſtas inæſtimabilis, & ſolus ſanctus, & in ſanctis requieſcens, cum patre & ſpiritu ſancto glorificandus.

In cuius nomine baptizatus ſum, & confiteor & glorifico vnum Deum in tribus perſonis, conſubſtantialem, increatum & immortalem, æternum & inæſtimabilem, incircunſcriptũ & incorporalem, impaſsibilem & inconuertibilem, immutabilem & indefinitum, fontem bonitatis & æquitatis, & lucis æternæ, omnium creaturarum viſibilium & inuiſibilium factorem, continentemq; omnia & conſeruantem, omnium prouiſorem, tenentem omnia & regentem. Neq; enim factum eſt aliquid eorũ quæ ſunt ſine illo, nec abſq; illius prouidẽtia ſubſiſtere quippiam valet. Ipſe enim vita omniũ, ſtabilitas cunctorum & illuminatio, omnimoda dulcedo, auiditas inſatiabilis, & omnium deſiderabilium ſumma. Derelinquere ergo ſic bonum, ſic ſapientem, ſic potentẽ Deum, & dęmonibus immundis, & omniũ ſcelerum auctoribus ſeruire, & idolis ſurdis & mu

tis cultũ exhibere, quę nũquam fuerũt aliquid, nec futura ſunt, quantæ eſſet vtiq; pater inſipientiæ ac ſtultitiæ? Quãdo enim audita eſt aliqua loquela aut ſermo ab ipſis? Quando vel paruã reſponſionem exorantibus ſe dederunt? Quando ambulauerunt, aut ſenſum aliquẽ oſtenderunt? Neq; enim ſtantes ſeſsionis aliquãdo recordati ſunt, neq; ſedentes ſurgere viſi ſunt. Quorũ turpitudinem & fœtorem, atq; inſenſualitatẽ, necnõ & in eis operantiũ, & per illa vos ſeducentiũ dęmonum fragilitatẽ, à viro ſancto diſcens, & eorum malitias conſpuens, et perfecto odio odiens eas, viuenti & vero Deo adhæſi, & illi ſeruiam vſque ad diem vitæ meæ, vt & in manus eius veniat ſpiritus meus.

Igitur cũ tam inenarrabilibus bonis occurrẽtibus mihi, gauderẽ quidẽ quod de malignorum ſeruitute dęmonũ liberatus, & de dura captiuitate reuocatus eſſem, et lumine vultus Domini illuſtratus, dolebã tamẽ quod animam meam dimidiam perdidiſſem, eo quod tu dominus ac pater meus, talium non eſſes particeps bonorum: ſed cõſiderans tuę pertinaciam voluntatis, continebam in memetipſo triſtitiam, nolens te ad iracundiã prouocare. Deum verò inceſſanter exorabam, vt traheret te ad ſe, &

de longinquo reuocaret exilio,cuius tu autor tibimetipſi (heu mihi) fugitiuus pietatis factus, & malitiæ miniſter totius impietatis. Quoniam verò tu ipſe opera in manifeſtũ,quæ circa me erant adduxiſti, perfectionem mei auſculta conſilij. Non violabo fœdus quod cõpoſui cum Chriſto,non perdam illum qui me redemit precioſo ſanguine ſuo, etſi me oporteat mori pro eo. De me igitur ſic certus factus, noli fruſtra laborare,quoniam nunquam me poteris à bona confeſsione reuocare. Sicut enim tibi impoſsibile eſt cœli altitudinem manu tangere,aut maximum ſiccare pelagus (inefficax vtique conatus eſt iſte,et inutilis) ſic et iſtud eſſe cognoſce. Si ergo ipſe meo acquieſcere volueris conſilio,Chriſto reconciliaberis,et quę ſuper mentem humanam ſunt,experiẽtiam accipies bonorum, ſocijq́; ad inuicem erimus,ſicut naturæ,ita & fidei: aut à tua diſcedam(bene ſcias) filiatione,&Deo ſeruiam munda conſcientia.

Rex igitur vt audiuit hæc omnia,ſtatim cõmotus eſt, & furore incõprehenſibili arreptus, iracundè ei loquebatur: & amariſsimè dẽtibus frendẽs,& furioſo ſimilis,ait: Et quis mihi horũ autor eſt malorũ,niſi ego ipſe,qui ſic te diſpoſui,& talia tibi feci, qualia nullus ali-

quan-

quando patrũ fecit filio ſuo? Quapropter prauitas tuæ voluntatis, & contentio impudenter effrenata, aduerſus caput meum inſanire te fecit. Meritò igitur in tua natiuitate aſtrologi dixerũt, te malignum fore virum ac peſsimum, arrogantemque, & parentibus inobedientem. Nunc verò ſi meo non obaudieris conſilio, & à mea diſceſſeris filiatione, pro patre inimicus effectus, illa faciam tibi, quæ nec etiam hoſtibus aliquis oſtendit.

Tunc Ioſaphat reſpondit: Cui rex ita ſuccenſus, quoniam ego talium particeps effectus ſum bonorum, triſtaris? Et quis vnquam pater in filij felicitate contriſtatus apparuit? Aut quomodo iam pater talis, & non vt inimicus reputabitur? Non ergo patrem meum de reliquo vocabo te, ſed diſcedam à te, ſicut aliquis fugit à ſerpente, ſi cognouero, te inuidere ſaluti meæ, & ad perditionem coartari violenta manu. Quod ſi contrà tyrannicè & hoſtiliter egeris, ſicut & dixiſti, quid aliud lucraberis, niſi quod pro patre tyrannus & homicida duntaxat vocaberis? Et quia facilius eſt tibi aquilæ veſtigia ſequi, & per ipſum aërem volitare, quàm quæ in Chriſto eſt fidem meam mutare, et quã ei confeſſus ſum bonam confeſsionem

per-

peruertere,ab hoc conatu quieſce. Sed potius intellige pater, & albuginem atq; caliginem de mentis tuæ oculis excute,vt cernere valeas Dei mei ſplendidiſsimum lumen, & ipſe aliquando illuſtrari dulciſsimo lumine iſto merearis. Quare enim totus deditus es carnis paſsionibus & voluptatibus, & reſpectus non eſt in te? Scito quod omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni. Excicatum eſt fœnum, & flos eius cecidit: verbum autem Domini mei quod euangelizatum eſt omnibus,manet in æternum.

Cur ergo ſic inſanè tenes ac defendis more vernalium florum marcidam & perituram gloriam, atque abominandas fœtidasque delicias, et ventris,et ſub ventre immundiſsimas paſſiones: quæ ad tẽpus quidem delectant ſenſus ſtultorum,poſtea verò amariores felle faciunt retributiones? Quoniamquidem vmbræ ipſi et ſomnia vanæ iſtius pertranſibunt vitæ, in dolore verò perenni ignis inextinguibilis et obſcuri concludentur horum amatores, et iniquitatis operarũ, vbi vermis eos nõ dormiens ſine fine comedet, & ignis aſſiduè & inextinguibiliter in ſecula exuret,nullum exitum habituros. Cum quibus (heu mihi) & ipſe concluſus, &

atrociſsimè cruciatus, multum quidem conſcientia malorum conſiliorum, multum verò & meorum verborum requires præſentes dies, ſed vtilitas pœnitentiæ non erit. Nam in inferno confeſsio & pœnitentia non eſt,

Sed præſens tempus operationis eſt, futurũ verò retributionis erit. Si enim præſentes iucunditates non perditioni ſubiacerent et fluxui, ſed perenniter florerent, permanſuræ cum dominis ſuis, nec ſic oporteret Chriſti bonis, & æternis donis iſta præferre. Quanto enim ſol nocte profunda ſplendidior eſt & lucidior, tanto & eo amplius bona promiſſa diligentibus Deum, omni terreno regno & gloria, glorioſiora ſunt & magnificentiora. Et omnino conuenit maiora minoribus anteferre. Quoniam verò & fluxui omnia & corruptibilitati ſubiacent, & quaſi viſio & ſomnum & vmbra prætereunt & pereunt, & auræ potius eſt credendum non ſtanti, & nauis pontum preterlabẽtis veſtigijs, quàm hominum proſperitati: quãtæ eſt improuidentiæ, vel potius vecordiæ & imprudentiæ, corruptibilia & mortalia, infirma & fragilia, incorruptibilibus præferre, & æternis immortalibusq; & infinitis, & temporali horum refrigerio inſucceſsibili priuari bo-

no-

norum illorum refectione? Non intelligis iſta pater? Non pertranſibis tranſeuntia, & adhærebis permanſuris? Nõ præferes habitationem incolatui, lucem tenebris, æternam vitam vmbræ mortis, non indiſſoluenda fluidis? Non fugies à dura ſeruitute mali rectoris, nequiſsimi (inquam) diaboli, & bono atque clementi & multum miſericordi non reconciliaberis Domino? An nõ à multorũ diſcedens & falſorum deorum ſeruitute, vni ſeruies verò & viuenti Deo? Nã etſi peccaſti & diutius blaſphemando, eiusq́ue famulos diris tormẽtis perimẽdo, ſuſcipiet te tamen proculdubio quia benignus eſt, ſi conuertaris ad illum, & omnium tuorum immemor erit delictorum. Nõ enim vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Qui de innumerabili altitudine, deſcendens ad inquiſitionem noſtri qui errraueramus, crucem, flagella, mortem pro nobis ſuſtinuit, & ſuo nos precioſo ſanguine redemit, venundatos ſub peccato. Ipſi gloria & laus, in ſecula: Amen.

Rex autem ſtupefactus pariter & ira repletus, tam intellectu pueri & verbis, quibus contradici non valebat, quàm & ex hoc, quod nõ dimiſerat filius eius quicquam, quod ad deorum de-

rogationem pertinere potuerit, ſed totum eorum ſubſannauerit & deriſerit vitam: ſermonis tamen claritatem ob internam tenebrarum craſsitudinem non percepit, & punire illum, aut mali aliquid de illo diſponere, propter naturalem amorem non potuit. Peruertere ſe illum minis poſſe omnino deſperabat, & inſuper metuebat, ne ſi amplius moueret erga illum ſermonē, illo fiducialiter acturo, & deos illius deſpecturo, ampliori furore ſuccenderetur, & cogeretur aliquid mali irrogare ei. Cum ira igitur ſurgens, diſceſsit, & dixit: Vtinam nunquam natus eſſes, vel in lucem iſtam proceſsiſſes, talis futurus blaſphemator deorum, & paternæ ſpretor amicitiæ & admonitionis. Sed non in finem inuictos ſubſannabis deos, nec in longum gaudebunt aduerſarij, aut horum præualebunt maleficia. Niſi enim obediēs fueris mihi, et dijs gratus extiteris, & multis & varijs afflictum tormentis malè te interficiā, non ſicut filium te tractans, ſed quaſi hoſtem quendam & apoſtatam.

Vbi iratus pater abiſſet, Ioſaphat ardētiſſimis precibus Dei poſtulauit auxiliū. Et cū pater cōſilio Arachis vſus blādis et ad gratiam cōpoſitis ſermonibus filio perſuadere conaretur,

naretur, nihil egit, egregiè de morte et reſur rectione Ioſaphato philoſophante.

CAPVT XXV.

HAec patre minante, et cum ira diſcedente, in ſuũ cubiculũ filius ingreſſus ad ſuum adiutorẽ oculis eleuatis, orauit: Dñe Deus, de profundo cordis clamaui, dulcis ſpes mea & vera promiſsio, tu refugium ad te confugientium, vide contritionẽ cordis mei propitio & manſueto oculo, et ne derelinquas me, neque diſcedas à me, ſed ſecundum veram promiſsionem tuam, adeſto mihi indigno famulo tuo. Te enim cognoſco & confiteor factorem et prouiſorem omnis creaturæ. Ipſe ergo me conforta, vt in bona confeſsione permaneam, vſq; in finem vitę meę. Reſpice in me et miſerere mei, & aſsiſte mihi, de vniuerſa me diabolica illæſum ſeruans operatione. Reſpice rex. Inflãmata eſt enim fortiter anima mea tuo amore & deſiderio, & exarſit quaſi in ſiti ardoris in inaquoſo, deſiderans fontẽ immortalitatis. Ne tradas beſtijs animam confitentem tibi, animam pauperis tui ne obliuiſcaris in finem, ſed cõcede mihi peccatori in omni vita mea, pro tuo nomine & confeſsione omnia pati, & totum meipſum tibi ſacrificare. Te enim vires ſubminiſtrante, & infir-

firmi fortes efficiuntur, quia ſolus es adiutor inſuperabilis, & Deus miſericors, quem benedicit omnis creatura glorificandum in ſecula: Amen. Sic orãdo, diuinam ſenſit conſolationẽ in cor ſuum deſcendiſſe: et cõſtantia repletus, perſeuerauit tota nocte in oratione.

Perſeuerauit tota nocte in oratione.

Rex autem Arachi amico nota faciens de puero, et duram illius pertinaciam, et immutabilem ſignificans voluntatem, conſilium ab eo accepit, cum eo amabilem potius ac ſuauem faciendam eſſe, quam ſæuã et aſperam collocutionem, blandicijs ſperans penitus eſſe trahendũ. Venit igitur rex ſequenti die ad filium. Et ſedẽs propinquius aduocauit eum. Deinde circumplectens oſculatur eum, manſuetè ſubingrediens, & leniter dicendo: Fili dulciſsime et amãtiſsime, honora tui canitiẽ patris et meam audiendo deprecationem, accedens offer ſacrificia dijs. Sic enim illos clementes habebis, et longitudinem dierum, gloriæq; omnis et regni et omnium bonorum participationem ab ipſis accipies, mihiq; patri tuo eris gratus per totã vitam, et omnibus hominibus venerandus atq; laudabilis. Patri enim obedire, magna laus eſt, et maximè in bono, et erga deos dilectione. Cur ergo fili viſum eſt tibi quod

volens

volens de bono declinando, viam con trariam ambulando prælegi, aut ignorantia et experiētia boni, perditioni me ipſum dedi? Sed ſi volentem me putas vtilitati præferre malum, & vitæ præponere mortem, multū mihi videris fili à recto deuiare iudicio.

An non vides, quanto labori, & fatigationi memetipſum trado, expeditionibus contra inimicos, vel alijs quibuſdam reipublicæ vtilitatibus vacans, famem etiam & ſitim, itineris pedum fatigationem, & in nuda terra cubationem, quando neceſsitas incumbit, ſuſtineo? Diuitiarū verò & pecuniarum, tantus mihi contēptus ineſt atq; deſpectus vt ſæpenumero ſatis prodigè omnia promptuaria palatij mei vel tui euacuauerim, vt ædificarē maxima templa deorum, & meis exercitibus largiter diſpēſauerim theſauros pecuniarum. Cùm igitur tantæ ſim particeps largitatis & laborum, & perſeuerantiæ, ſi Galilæorum cognouiſſem meliorem ſectam noſtra eſſe, quomodo illam omni ſtudio & feſtinatione non apprehendiſſem, cūcta deſerendo, & ſpernendo cauſa ſalutis meæ? Si autem ignorantiam meam, & inexperientiam boni reprehenderis, attende quantas ſępius noctes inſomnes duxi, quæſtione aliqua propoſita,

ſita, & ſæpe non multum neceſſaria, non tamen indulgebã mihimetipſi penitus requiem, priuſquam quæſtionis apertam & congruentiſsimam inuenirem ſolutionem.

Si ergo harum rerum temporalium, nec minimum aliquid deſpectui habui, ſed omnia diligenter ad vtilitatem vniuerſorum inueſtigaui, in tantũ quod in perſcrutatione atq; ſcientia etiam ineffabiliũ queſub ſole ſunt (ſicut arbitror) nulli ſecundus fuerim: quomodo conſequens eſt, vt diuina, que coli & venerari oportet, deſpiciẽda iudicarẽ, & nõ omni ſtũdio, omni virtute, tota anima, & tota mente ad eorum vacauerim inquiſitionem, vt inuenirem verã viam & cõpetentiſsimam? Nam & quæſiui labori oſius, plurimas noctes & dies in his expendens, multosque ſapientes & eruditos ad iſtud conſilium conuocaui, nonnullis etiam Chriſtianorum ſæpius locutus ſum & viuaci cõquiſitione, & experientiſsima perſecutione inuenta eſt à me ipſa via veritatis, quæ à ſapientibus tam rationabilitate, quàm intellectu preditis, teſtificata eſt, quia non eſt alia niſi per quã hodie ambulamus, maximis dijs ſeruientes, & dulciſsimã vitam atque iucũdam tenentes, omnibus hominibus ab ipſis diſtributam, quæ

delectatione & lætitia plena eſt: quam Galileorum principes & pontifices imprudenter repulerunt, qui & dulce lumen iſtud, & iucunditates omnes, quas ad refrigerium nobis dij largiti ſunt, ſpe cuiuſdam alterius incertæ vitæ reijciunt, neſcientes quid dicunt, vel de quibus affirmant.

Tu autem fili temerè patri tuo acquieſce, diligenti & veriſsima ſcrutatione indubitanter bonum inuenienti. Ecce enim oſtenſum eſt, quia neq; volens neq; ignorantiæ modo detorſi à bono, ſed inueni & accepi: deſidero etiam & te non vecorditer errare, ſed me ſequi. Verere igitur patrem tuum. An neſcis quale bonum eſt patri obedire, & eum in omnibus lætificare, ſicut è contrario quàm deteſtabile eſt & malignum, patrem exacerbare, & ipſius mandata pro nihilo cõputare? Quotquot enim hoc fecerunt, malè perierunt, cum quibus tu fili non annumereris, ſed patrem lætificans, adipiſcaris bona omnia, & hæres fias meæ benedictionis, & regni.

Prudentiſsimus verò & verè nobilis iuuenis, patris ſuperflua locutione & ſtulta oppoſitione audita, & agnita tortuoſi draconis verſutia, quomodo à dextris pedibus illius parauit laqueum, capere deificam animam artificiosè ten

tans,

tans, & ad propoſitum impedire brauium, Domini ante oculos poſuit preceptum, Non veni mittere pacem dicentis, ſed gladium. Veni enim ſeparare filium à patre ſuo, & filiam à matre ſua, & cetera. Et. Quoniã qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Et, Quicunq; negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui eſt in cœlis. Hæc cogitando, & diuino timore animã crudiendo, deſiderioque & amore confortando, Salomonis illud verbum nimiũ gaudens aſſumpſit, dicentis: Tempus amãdi, & tempus odiendi. Tempus belli, & tempus pacis. Et primũ quidẽ in mẽte orans, illud Dauidicum dixit: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Clamabo ad Deum altiſsimum, Deum qui benefecit mihi. Et cætera pſalmi.

Matt. 10.

Eccleſ. 3.

Pſalm. 56.

Deinde dixit ad patrem: Procurare patrem & illius obedire preceptis, charitate quoque & amicitia miniſtrare, communis nos edocet Dominus, naturalem nobis huiuſmodi inſerens amorem. Quando verò parentum affectus & amicitia ipſam animam fert ad periculum, & ab autore remouet, abſcindere hanc

re hanc penitus iubemur, & nullo modo obedire debere ſeparantibus nos à Deo, ſed odire iſtos, & auertere, etiamſi pater ſit qui execrabilia præcipit, etſi mater vel rex, & ſi vitę ipſius domi nus. Nam propter affectum paternum Deum perdere, impoſsibile mihi eſt. Quapropter noli tibimetipſi laborem incutere, vel mihi, ſed potius crede, & vi uo & vero vterq; ſeruiamus Deo. Quę enim nunc colis idola, ſunt manuum hominum opera, flatu carentia & ſurda nihil aliud penitus quàm ſolam per ditionem & cruciatus ęternos ſe colen tibus exhibentia.

Si verò iſtud facere nolueris, fac de me quod tibi videtur. Seruus enim ſum Chriſti, & neque blandicijs, neque tormentis ab illius diſcedam charitate (ſicut in anterioribus dixi tibi) in medio ponens huius nomen Domini, & firmiſsimè verbum aſtruens. Quia verò neque volens dixiſti te malè agere, neque ignorantia à bono declinare, ſed multa & laborioſa inquiſitione hoc cognouiſti veraciter bonum eſſe, idolis ſeruire & libidinibus paſsionū affligi, malum quidem te ex induſtria agere no lo dicere. At multa tibi circūfuſa eſt caligo ignorantiæ, & quaſi in tenebris pal pando ambulans, penitus nō vides lumi

nis

niſvel modicum quemlibet radium. Vnde rectitudine perdita, per præcipitia mala & deuexa errabundus non rectè graderis. Hoc & ego indubitanter ſcio, & te pater agnoſcere volo. Ideo tenebras pro lumine ponēs, & mortem pro vita approbans, putas tibi bene conſultum eſſe, & vtiliter prouidiſſe: ſed non eſt ita. Neque enim quæ colis dij ſunt, ſed ſtatuæ dæmonum, omnem illorum execrabilem operationē intrinſecus habentes: neque quā vocas dulcem & iucundam vitam, delectatione ac lætitia putas repleri. Huiuſmodi eſt naturæ, ſed potius abominabilis habetur iſta ſecundum veritatis ſermonem, & execranda. Temporaliter enim gulam lenit, ſed poſtea amariores felle facit retributiones (ſicut meus Magiſter ait) & acutiores gladio ancipiti.

Et quomodo huius narrabo mala? Enumerabo ea, & ſuper arenam multiplicabuntur. Hamus enim eſt diaboli, præſens vita, operta abominabili voluptate velut eſca, per quam ſeductos ad profundum trahit inferni. Sed à Domino meo promiſſa bona, quæ tu incertæ vitæ ſpem nominaſti, vera ſunt & immutabilia: finem neſciunt, corruptioni non ſubiacent. Sermo non eſt qui referre magnitudinem illius gloriæ, &

Vita præſens hamo ſimilis eſt.

delectationis valeat, gaudij quoque ineffabilis & lætitiæ perennis. Omnes enim, ſicut ipſe cernis, morimur, & non eſt homo qui viuet, & non videbit mortem.

Rurſus autem reſurrecturi ſumus, quando veniet Dominus Ieſus Chriſtus, Filius Dei, in maieſtate ineffabili, & virtute terribili, ſolus rex regum, & dominus dominantium, cui omne genu flectetur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum: & tantum terrorem tunc incutiet, vt etiam ipſæ cœleſtes virtutes timeant. Aſtabunt verò ei cum timore milia milium, & decies centena milia angelorum & archangelorum, & cuncta timore & tremore erunt plena. Vnus autem archangelorum tuba canet, & mox cœlum inuoluetur ſicut liber. Terra autem dirupta, emittentur corpora hominum quicunque fuerunt ex quo Adam primus homo factus eſt, vſque ad diem illam. Et tunc omnes à ſeculo mortui, in ictu oculi, viui adſtabunt tribunali immortalis Domini, & vnuſquiſque redditurus eſt rationẽ operum ſuorum. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, qui crediderunt in patrem & filium & ſpiritum ſanctum, & in operibus bonis finierunt præſentem vitam. Quomodo verò tibi enarrabo qualem illi

Iuſti fulgebũt ſicut ſol, qui crediderũt in ſanctã Trinitatem & in operibus bonis finierũt præſentem vitã. Vides ergo quod non ſufficit tantũ credere, ſed & operari neceſſe eſt?

illi tunc ſuſcepturi ſunt gloriam? Nam etſi ſolis comparem claritati ſplendorem eorum & pulchritudinem, vel fulguri coruſcanti, nihil ſplendore illo dignum referam. Oculus enim non vidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe in regno cœlorum, in luce inacceſsibili, in gloria ineffabili & infinita. Et iuſti quidem talia adipiſcentur bona, talemque beatitudinem.

Illi autem qui verũ Deum negauerũt, plaſmatorem & creatorem ignorantes, dæmones voluptateſque vanæ huius vitæ amauerunt, & more pecorum in cœno viciorum volutati ſunt, & totius nequitię ſentinam animas ſuas fecerũt, ſtabunt nudi & miſeri, confuſi & deiecti, & habitu, & re ipſa opprobrium facti omni creaturæ. Cuncti enim quæ egerunt in verbo, in opere, in cogitatione, ante faciem illorum venient. Deinde poſt cõfuſionem illam duriſsimã, & opprobrium illud intolerabile, præcipitabũtur in ignem inextinguibilem & teterrimum, in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium, & vermis immortalis comedet carnes eorum Hæc eſt pars eorum, & hæreditas. In his per ſecula ſine fine cruciabuntur, eo quod bona à Deo promiſſa deſpicien-

tes, propter temporalē peccati voluptatem, & damnationem ęternā elegerunt pro iſtis. Itaque pro ineffabili quidem gaudio adipiſcendo, & inæſtimabili gloria perfruenda, & luce cum angelis, vt bono ac dulciſsimo Domino cum fiducia aſsiſtere mereamur: amariſsima verò & infinita tormenta, & execrabilem illam confuſionem poſsimus euadere, dignum eſt non tantū pecunias, ſed & corpora, & ipſas animas impendere. Quis enim ita vecors eſt & abſque ſenſu, qui non potius vellet mille ſuſtinere mortes temporales, vt ab æterna liberatus & infinita morte, vitam poſsideat beatam & immortalem, & luce reſplendeat indiuiduæ trinitatis?

Adornatur diſputationis certamen inter gentiū philoſophos & commentatitium illum Barlaam. Deſcenditur ad certamē Ioſaphat Nachorem perterrefacit, adeo vt is qui deſcenderat in arenam, animi cedendi philoſophis, mutato conſilio totus pro Ioſaphat, eiuſque religione ſtetit.

CAPVT XXVI.

HIs auditis rex ſermonibus, & firmitatem atque ſtabilitatem pueri conſiderans, quod neque blandicijs delinitus, ſermoni obedire voluerit, neque pœnarum minis: mirabantur quidē inſuaſi-

ſuaſione verbi, & reſponſionibus eius acutiſsimis, & arguebatur à propria conſcientia, vera dicere illum & iuſta, ſed retrahebatur à mala conſuetudine, & ex vſu confirmatis in eo vicijs, à quibus chamo & freno conſtringebatur, non permiſſus lucem videre veritatis. Vnde omnimodam obliuionem ſermonis faciens, detinebatur veteri intentione, præmeditatum à ſe cum Arachi conſilium ad effectum producere volens. Et ait puero: Oportebat te quidem, fili, meis obedire preceptis in omnibus: ſed quoniam durus exiſtens & inobediens, ita fortiter reſiſtis mihi, tuam potius quàm meam cupiens facere voluntatem, veni, vt poſtpoſita pertinacia & vana contentione, ambo pariter cedamus veritati. Et quoniam Barlaam, qui te ſeduxit, ferro vinctus apud me tenetur, congregabo eccleſiam magnam, & omnes noſtros, & Galilæos in vnum conuocabo, præconesq́; manifeſtè clamare præcipiam, vt nullus Chriſtianorum metuat, ſed omnes ſine timore conueniant: & ſic communi deſiderabimus deliberatione, vt aut ſuadentes vos cum veſtro Barlaam aſſequamini quæ optatis, vel ſuaſi à nobis, vltronea voluntate præceptis noſtris obedire conſentiatis.

K 5 Prudens

Prudens verò iuuenis per viſionem di uinitus ſibi demonſtratam, præcognita regis fictione, ait: Voluntas Domini fiat, & ſit quemadmodnm iuſsiſti. Ipſe enim bonus Dominus & Deus præſtet, ne à veritate eius deuiemus. Nam in ipſo confidit anima mea, & ipſe miſerebitur mei. Tunc iam iubet rex omnes congregari, idololatras videlicet & Chriſtianos. Literis quidem vbiq; tranſmiſsis, præconibusque per vniuerſas ci-

Aſtus diaboli. uitates & villas clamantibus, vt nullus Chriſtianorum timeat ſe aliquid mali quod non ſperat paſſurum, ſed ſecurè omnes per tribus & cognationes in vnum conueniant, ad ſpontaneam, & non coactam veritatis conquiſitionem futuram, cum principe ac duce ſuo Barlaam ſimiliter verò pontifices, & cultores idolorum, & ſapientes Chaldæorũ & Indorum, qui in toto regno illius & principatus reperiri potuerunt, conuocauit, & quoſdam augures, & magos, & diuinos.

Conuenit itaque ad regem multitudo magna de ſua execranda ſecta. Chriſtianorum verò vnus inuentus eſt ſolus, in auxilium veniens illius, qui putabatur eſſe Barlaam, nomine Barachias. Alij autem fidelium mortui erant ab inſania principum, qui per ciuitates

tates erant occiſi: alij verò in montibus & ſpeluncis latitabant timore imminentium malorum: nonnulli timebant minas regis, & non audebant in aperto parêre, ſed nocturni erāt Dei cultores, latenter Chriſto ſeruientes, & nequaquam confidenter agentes. Ille autem ſolus cum eſſet forti animo, ad agonem proceſsit veritatis. Reſidente igitur rege in tribunali excelſo & eleuato, conſidere ſibi filium iuſsit. Ille verò ob patris reuerentiam & honorem, hoc noluit facere, ſed in terra prope illum ſedit. Aſtiterunt autem eruditi ſapientia, quam Deus ſtultam fecit. Quorum inſipiens cor errauit: ſicut dicit Apoſtolus, putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerūt gloriam in incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem mortuorum hominum, & quadrupedum & ſerpentium. Hi verò conuenerunt ſermonem facere aduerſus filiū regis, & eos qui ſecum erant, & completa eſt in eis illa parabola, quod aduerſus leonem caprea pugnam inijt. Ille nanque altiſsimum poſuit refugium ſuum & in vmbra alarum illius ſperauit: at illi in principibus confidebant ſeculi huius deſtruendis, & principe tenebrarum, cui ſemetipſos miſerabiliter & infeliciter ſubdiderunt. *Rom. 1.*

Adducitur igitur Nachor, ſimulans ſe Barlaam eſſe. Et hi quidem qui erant circa regem talem habebant intentionem: ſed ſapiens prouidētia deſuper ordinabat alia. Aſsiſtentibus itaque omnibus ait rex rhetoribus & ſuis philoſophis, imò populi ſeductoribus, et ſtultis corde: Ecce certamen nobis adiacet, & agonis magnitudo De duobus enim alterum fiet vobis hodie. Aut noſtra manu tenentes errare Barlaam, & eos qui cum eo ſunt redarguentes, & gloriam maximam & honorē à nobis & ab omni ſenatu conſequemini, & coronis victoriæ coronabimini: vel ſuperati, cum omni confuſione peſsimæ morti trademini, & omnia veſtra populo dabuntur, & vt omnino deleatur memoria veſtra de terra, corpora etiam veſtra beſtijs dabo ad deuorandum, & filios veſtros perenni condemnabo ſeruituti.

His ita dictis à rege, filius quoque illius ait: Iudicium tuum iuſtum iudicaſti ô rex. Corroboret Dominus hāc voluntatem tuam: Sed & ego eadem dico magiſtro meo Et conuerſus, ait ad Nachor: Noſti ô Barlaam in quali me gloria inueniſti & delicijs? Sed verbis plurimis ſuaſiſti mihi, vt à paternis quidē diſcederem legibus & moribus, & ignoto ſeruirem Deo, ineffabilium quorun

dam

dam & æternorum bonorum promiſſionibus trahendo mentem meam ad ſequenda dogmata, & meum exacerbandum dominum & patrẽ. Nunc ergo quaſi in lance exiſtima temetipſum ſtare. Nam ſi viceris imminentem luctam, vera eſſe dogmata tua, oſtendes, quæ me docuiſti, erroneosq́ue redargues, qui cõtra nos hodie dimicaturi ſunt, & tu glorificaberis plus omnibus qui aliquando fuerunt, & prædicator veritatis vocaberis. Ego quoque in tua per manebo doctrina, & Chriſto ſeruiam vſque ad finem vitæ meæ: ſi verò ſuperatus ſeu veritate, ſeu falſitate, confuſionis mihi hodie autor extiteris, ſtatim meam contumeliã vindicabo in te, manibus meis cor tuum & linguam extra hens, canibusq́ue ad deuorandum iſta cum cætero corpore tuo tradam, vt diſcant omnes per te, ne præſumant filios regum in errorem mittere.

His auditis Nachor ſermonibus, triſtis effectus eſt valde, & deiectus, videns ſemetipſum cecidiſſe in foueam quam fecit, & laqueo quem abſcondit eſſe comprehenſum, & gladium ſuum in cor eius ingreſſum. Animaduertens ergo in ſemetipſo, cognouit ſibi melius eſſe regis filio adhærere, & partem illius defendere, quatenus euaderet præpa

ratum ſibi periculũ. Sciebat enim, quoniam ei facillimum, tormentis ſe tradere, ſi vel modicum illum exacerbaret. Totum tamen ex diuina fiebat prouidentia, ſapientes etiam per aduerſarios noſtra tuente. Vt enim ad verba vtriq; venerunt, cultores ſcilicet idolorum & Nachor: ibi Nachor, quemadmodũ ille
Num.22. Barlaam qui ſub Balach aliquando maledicere Iſrahel propoſuerat è contrario quoque multis philoſophis reſtitit. Sedente itaque rege in throno ſuo, conſedente quoq; filio, ſicut iam diximus, aſtiterunt & inſipientes rhetores, qui quaſi gladium linguas ſuas exacuerunt ad deſtructionem veritatis. In quibus impletum eſt illud quod ſcriptum eſt:
Pſalm.7. Conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem. Conuenerunt & innumerabiles populi ad ſpectaculũ illius certaminis, quæ pars victoria potiretur.

Tunc vnus rhetorum ſapientior omnibus, dixit ad Nachor: Tu es Barlaam, qui imprudenter ſic & inuerecundè dijs noſtris contumeliam & omne dedecus infers, & dilectiſsimum regis filium in errorẽ induxiſti, & crucifixo ſeruire docuiſti? Cui Nachor reſpondit: Ego ſum Barlaam, qui deos tuos (ſicut dixiſti) deſpicio, filium autem regis nõ in errorem miſi, ſed ab errore liberaui,

& vero

& vero reconciliaui Deo. Et rhetor ait: Cùm eximij & mirabiles viri qui omnem ſapientiæ artem adinuenerunt, de os excelſos nominauerunt illos & immortales, & qui cuncti in terra fuerunt, & ſunt reges, & glorioſi, & nobiles eos adorauerint & coluerint: quomodo tu ipſe linguam aduerſus eos commoues, & omnino ſibilare audes talia? Quę autem aſſertio eſt, hos deos non eſſe, ſed crucifixum? Suſpiciens ergo Nachor, rhetorem quidem illum nullo modo reſponſione iudicauit eſſe dignum. Manu autem multitudini ſilentium indicens, & aperiens os ſuum, ſicut aſina Balaam, quæ non propoſuerat dicere, illa locutus eſt, & ait ad regem:

Ego rex prouidentia Dei veni in mundum, & conſiderans cœlum, terram, mare, & ſolem, & lunã, & cætera, admiratus ſum ornatum eorum. Cernens autem mundum, & que in eo ſunt omnia, quia ſecundũ neceſsitatem mouentur, intellexi mouentem & tenentem eſſe deum. Omne enim mouẽs, fortius eſt moto: & tenens, fortius eſt tento. Ipſum ergo dico eſſe deum, qui conſtituit omnia & tenet, qui ſine initio eſt & ſine fine, immortalis, æternus, nullo egens, ſuperior omnibus paſsionibus & diminutionibus, id eſt, ira & obliuione, igno-

ne, ignorantia, & cæteris: per ipſum verò omnia ſunt conſtituta. Non indiget ſacrificio & libamine, nec aliquo cunctorum apparentium: omnes verò illo indigent.

Eleganter Nachor oſtenditur elementa non eſſe deos, non Ventos, non Solem, aut Lunam, non hominem quemuis. Hinc Saturnum, Iouem, Vulcanum, Mercurium, Aſclepium, Martem, Bacchum, Herculem, Apollinem, Dianam & Venerem diuinitati omni exuit, Iudæos reijcit, ſed ſolos Chriſtianos veram habere religionem demonſtrat.

CAPVT XXVII.

HIs ita de Deo prolatis, ſicut permiſit me de ſe dicere, veniamus & ad genus hominum, quatenus videamus qui eorum participes ſint veritatis, & qui erroris. Manifeſtum eſt nobis, ô rex, quia tria genera ſunt in hoc mundo, quorum ſunt apud vos qui dicuntur deorum adoratores, & Iudæi, & Chriſtiani. Ipſi autẽ rurſus qui multos colunt deos, in tria diuiduntur genera. Chaldeos videlicet, & Græcos, & Aegyptios. Nam iſti fuerunt principes & magiſtri cæteris gentibus, in multorũ deorum cultu, & adoratione. Videamus ergo horum qui ſint participes veritatis,

Tria hominum genera.

tatis, & qui erroris. Chaldæi nanque neſciẽtes Deum, errauerunt poſt elementa, & cœperunt colere creaturam potius quàm ſuum creatorem. Quorum & imagines quaſdam facientes, nominauerunt figuram cœli, & terræ, & maris, ſolisque & lunæ, & cæterorum elementorum & luminarium. Et concludentes in templis, adorauerunt, deos vocantes eos, quos ſeruant diligenter ne rapiantur à furibus, & nõ intellexerunt, quod omne quod ſeruat maius eſt ſeruato, & faciens, maius eſt facto. Si enim inualidi ſunt dij eorum circa ſuam ſalutem, quomodo alijs ſaluationẽ exhibebunt? Errore igitur magno errauerunt Chaldæi, colentes ſtatuas mortuas & inutiles, & mirari ſatis nequeo, ô rex, quomodo qui dicuntur philoſophi eorum, nullo modo intellexerunt, quod & elementa corruptibilia ſunt. Si autem elementa corruptibilia ſunt, & ſubdita neceſsitati, quomodo ſtatuæ quæ factæ ſunt ad honorem illorum, dij exiſtunt? *Chaldæorum error.*

Veniamus ô rex, ad ipſa elementa, vt oſtendamus de eis quod nõ ſunt dij, ſed corruptibilia & mutabilia, de nihilo creata præcepto Dei, qui eſt incorruptibilis, & immutabilis, & inuiſibilis. Ipſe enim cuncta cernit, & quemadmodum vult immutat, & trãſponit. Quid ergo

de elementis dico?

Qui putant cœlum eſſe deum, errant. Nam videmus ipſum volubile, & ſecundum neceſsitatem motum, & ex multis conſtitutum, propter quod κόσμος vocatur. κόσμος autẽ fabrica eſt alicuius artificis. Quod autem fabricatum eſt, initium & finem habet. Mouetur autẽ cœlum cum ſuis luminaribus ſecũdum neceſsitatem. Nam aſtra ordine & ſpacio feruntur de ſigno in ſignum: & nũc quidem occumbunt, nunc autem oriuntur, & ſecundũ tempora iter peragunt, vt perficiant æſtatem & hyemem, ſicut eſt eis ordinatum à Deo, & pertranſeãt proprios terminos ſecundum ineuitabilem naturæ neceſsitatem cum cœleſti ornatu. Vnde manifeſtum eſt, non eſſe cœlum deum, ſed opus Dei.

Qui autem putant terram eſſe deam, errauerunt. Videmus enim illam ab hominibus contumeliam patientem, et dominationi eorũ ſubiacentem, defoſſam & conſperſam, & inutilẽ factam. Nã ſi igne torreatur, efficitur mortua, ſicut videmus quod de teſta nihil oritur. Inſuper, & ſi paulo amplius infundatur, corrumpitur & ipſa, & fructus eius: Conculcatur autẽ ab hominibus & cęteris animalibus. Sanguine interfectorũ inquinatur, effoditur & impletur, mortu-

mortuorũ theca fit corporũ. His ita ſe habentibus, nõ ſequitur terram eſſe deam, ſed opus Dei ad vtilitatẽ hominũ.

Qui autem putant aquam eſſe deam, errauerunt. Nam & ipſa ad vſum hominum facta eſt, & dominationi ſubiacet eorum. Polluitur, corrumpitur & immutatur: caleſcit, & tingitur coloribus, & frigore congelatur, & cruoribus inquinatur, & ad cunctarum ſordium ablutionem aſſumitur. Idcirco impoſsibile eſt aquam eſſe deam, ſed opus Dei.

Illi verò qu arbitrantur ignem eſſe deum, errant Nam ignis factus eſt ad vſum hominum, & ſubiacet illorum dominationi. Circunfertur de loco ad locum, & accenditur ad elixandas & aſſandas carnes, adhuc autem & mortuorum corpora comburenda. Multis etiã modis corrumpitur ab hominibus, & extinguitur. Propter quod non eſt congruũ, ignem deum æſtimare, ſed opus Dei. Qui autem credunt ventorum flatum eſſe deum, errant. Manifeſtum eſt, quod ſeruit alij, & ad gratiam hominũ pręparatus eſt à Deo ad conductum nauium, & àd ventilationem ſegetum, & cæteras hominum vtilitates, ſecundum præceptum Dei.

Quapropter non eſt æquum, ventorum flatum eſſe deum, ſed opus Dei.

Opinan-

Opinantes verò ſolem eſſe Deum, errãt. Videmus enim illum agitatum ſecundum neceſsitatem, & volubilem & trãſlatum de ſigno in ſignum, occumbentem & orientem, & calefacientem pullulantia plantaria ad vſum hominum, inſuper & diuiſionem habentem cum cæteris aſtris, & multo minorem cœlo exiſtentem, & defectum luminis patientem, & nullam in ſe potentiam habẽtem. Quapropter non æſtimes ſolem Deum eſſe, ſed opus Dei.

Qui autem lunam putant eſſe deam, errant. Videmus enim illam ſecundum neceſsitatem motam & conuertibilem & trãſlatam de ſigno in ſignum, occumbentem & reſurgentem ad vtilitatem hominum, & minorem eſſe ſole, creſcẽtemque & diminutam, & eclipſim patientem. Ideoque non debemus lunam putare deam, ſed opus Dei.

Qui autem hominem putant eſſe deum, errant. Videmus quippe illum motum ſecundum neceſsitudinem & enutritum, ac ſeneſcentem etiam ſe nolente. Et aliquando quidem lætatur, & aliquando triſtatur. Indiget cibo & potu, & veſtitu. Eſt & iracundus & inuidus, & auidus, & pœnitens, & minorationes multas habens. Corrumpitur etiam multis modis ab elementis & anima-

nimalibus, vel imminente ſibi morte. Non conuenit ergo, hominem eſſe Deum, ſed opus Dei. Errore igitur magno errauerunt Chaldæi poſt opiniones ſuas. Colunt corruptibilia elementa, & mortuas ſtatuas, & non ſentiunt, iſta Deos facientes.

Veniamus itaque ad Gręcos, vt videamus quid fortè de Deo ſentiant. Græci nanque dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, deterius Chaldæis, introducentes plurimos deos factos eſſe, alios quidem maſculos, & alios fœminas, omnium vitiorum cunctarumq́ue autores iniquitatum. Vnde ridicula, & fatua & impia induxerunt Græci, ô rex, eos qui non ſunt Deos appellantes, ſecundum maligna deſideria ſua, vt aduocatos iſtos & patronos habentes ſuę nequitiæ, adulterentur, rapiant, occidant, & omnia mala faciant. Si enim dij illorum talia fecerunt, quomodo & ijdem ipſi eadem non facient? Ex his igitur errorum adinuentionibus accidit hominibus, bella habere frequentia, & occiſiones & amaras captiuitates. Vnde ſi vnumquenque deorum ſuorum voluerimus ſermone pertranſire, plurimam intueberis horum malitiam.

Inducitur enim ab eis ante omnes deos Saturnus, & huic ſacrificant filios

ſuos

filios ſuos. Qui genuit pueros multos de Rhea, & inſaniens comedit filios ſuos. Aiunt autem Iouem abſcidiſſe ſibi virilia, & proieciſſe ea in mare, vnde Venus fabuloſe dicitũr fuiſſe nata. Alligãs ergo ſuum patrem Iupiter, proiecit in tartarum. Cernis errorem & luxuriam, quam inducunt aduerſus deum ſuum. Conuenit ergo, deum eſſe victũ & deſertum? O inſipientia. Quis mentem ſanam habentium hæc dixerit?

Secundus inducitur Iupiter, quem ferunt regem eſſe aliorum deorũ, & tranſformatũ fuiſſe in animalia, vt cum mortalibus mulieribus adulteria committeret. Inducunt enim hunc transformatũ in taurũ propter Europã, & in auẽ propter Danaën, & in cygnum propter Ledam, & in ſatyrũ propter Antiopen, & in fulmen propter Semelẽ, & ita genuiſſe ex his filios multos: Liberũ videlicet & Rhetum, & Amphionem, & Herculem, & Apollinem, & Arthemiã, & Perſeum, Caſtoremq́; & Pollucem, & Helenam, & Minoëm, & Rhadamantum, & Sarpedonem, & nouem filias, quas appellauerunt muſas.

Deinde inducunt de Ganymede. Cõtigit ergo ô rex, hominibus imitari hæc omnia, vt fiant adulteri, & maſculorum concubitores, & aliorum malorum operum

rum patratores, ſecũdum imitationem dei ſui. Quomodo ergo creditur Deum eſſe adulterum, aut Sodomitam, vel parricidam?

Cum hoc verò & Vulcanum quendã inducunt deum eſſe, & iſtum claudum, & tenentem malleum & forcipes, & ferrariam artem exercentem victus gratia Ergo egenus erat, quod non conuenit Deum eſſe, nec claudum.

Deinde Mercurium inducunt Deum eſſe, cupidum & furem & auarum, & magnum & verſipellem, & ſermonum interpretem. Sed non conuenit deum eſſe talem.

Aſclepium etiam inducunt deum eſſe medicum, & potiones conficientem, & emplaſtra componentem, victus gratia. Indigentiam enim patiebatur. Nouiſsimè verò fulmine ictus à Ioue, propter Darij Lacedæmonij filium, interijt. Si ergo Aſclepius Deus eſt, & fulmine ictus non valuit ſibimet ipſi auxiliari, quomodo alijs auxiliabitur.

Mars autem inducitur deus belligerator & zelotes, cupidus ouium, & aliarum quarundã rerum. Nouiſsime verò adulterio perpetrato, cum Venere eſſe ferunt ligatum à paruulo Cupidine, & à Vulcano, Quomodo Deus ergo

cupidus,

cupidus, & belligerator, & adulter, & vinctus.

Bacchum verò inducunt deum eſſe, nocturnas agentem feſtiuitates, & magiſtrum ebrietatis, & euellentem vxores proximorum, & furioſum, & fugitiuum. Nouiſsime autem à Titanis occiſus eſt. Si ergo Bacchus occiſus non potuit ſemetipſum adiuuare, qui & ebrioſus fuit, & furioſus, & fugitiuus, quomodo erat deus?

Herculem verò inducunt ebrioſum fuiſſe & inſanum, & ſuos occidiſſe, & ad vltimum igne conſumptum interijſſe. Sed quomodo deus erat ebrioſus, & interfector filiorum, & combuſtus? Aut qua ratione aliosadiuuabit, qui ſibimet ipſi auxilium præbere non potuit?

Apollinem quoque inducunt deum eſſe zelotem, inſuper arcum & pharetram geſtantem, aliquando verò citharam, & tibiam, & diuinantem hominibus, mercedis gratia. Ergo indigebat. Sed non conuenit deum indigentẽ eſſe, & zelotem, & citharistam.

Dianam verò inducunt ſororem illius fuiſſe venatricem, & arcum habuiſſe cum pharetra, & hanc errare in montibus ſolam cum canibus, vt caperet ceruum aut capream. Quomodo ergo erit dea talis mulier venatrix, & per mõ-

tes

tes vagabunda cum canibus?

Venerem autem dicunt etiam deam eſſe adulteram. Nam aliquando habuit mœchum Martem, aliquando verò Anchiſen, & aliquando Adonidem, cuius mortem deflet, quærens amaſium ſuũ. Quam dicunt etiam ad infernum deſcendiſſe, vt redimeret Adonidem à Perſephona. Vidiſti ò rex maiorem hac dementiam deam inducere adulterantem & lamentantem, atque flentem?

Adonidem quoque inducunt deum eſſe venatorem, & hunc violenter mortuum eſſe ab apro plagatum, & non potuiſſe auxiliari miſeriæ ſuæ. Quomodo ergo corporum ſolicitudinem habebit mœchus & venator, atque biothanatus? Hæc omnia, et multo plura, turpiora & maligna inducunt Græci, ô rex de dijs ſuis, que neque dicere congruit, neque in memoriam omnino deferre. Vnde ſumentes homines occaſionem à dijs ſuis, perpetrant omnem iniquitatem & luxuriam, & impietatẽ, polluentes terram & aërem prauis ſuis actibus.

Aegyptij verò ſceleratiores & ſtolidiores his exiſtentes, deterius omnibus gentibus errauerunt. Non enim cõtenti fuerunt Chaldæorum & Græcorum cultibus, ſed inſuper & bruta ani-

malia induxerunt deos eſſe, terrena videlicet & aquatilia, &arbores & germinantia, & contaminati ſunt omni inſania & luxuria deterius omnibus gentibus quæ ſunt in terra.

Nam in principio colebant Iſin, habentem eundem & fratrem & maritum Oſirin, qui interfectus fuit à fratre Typhone, & ideo fugit Iſis cum Oro filio ſuo in Byblum Syriæ, quærendo Oſirin: & amariſsimè lamentando, donec creuit Orus, & interfecit Typhonem. Itaque neque Iſis potuit adiuuare ſuũ fratrem & maritum, neque Oſiris occiſus à Typhone, valuit ſubuenire ſibimetipſi, neque Typhon fratricida, perditus ab Oro & Iſide, quiuit ſe à morte eruere. Et cum in huiuſmodi infelicitatibus vixiſſe & occubuiſſe ſint cogniti, dij tamen à ſtultis Aegyptijs fuiſſe exiſtimati ſunt.

Qui neque his contenti, vel cęteris cultibus gentium, etiam bruta et muta animalia induxerunt deos eſſe. Nam quidam illorum coluerunt ouem, quidam verò hircum. Alij autem vitulum & porcum, nonnulli verò coruum & accipitrem, & vulturem & aquilam: alij verò crocodilum, quidam verò cattum & canem, & lupum & ſimiam, & draconem & aſpidem, & alij cepas, & allia

& ſpi-

& ſpinas, & cæteras creaturas. Et non intellexerunt miſeri de his omnibus, quòd nihil agere prȩualét.] Videntes; enim deos ſuos, comeſtos & interfectos ab alijs hominibus, & concrematos & putrefactos, non intellexerunt de ipſis quia non ſunt dij.

Errore ergo magno errauerunt Aegyptij, & Chaldæi & Grȩci, tales introducentes deos, & ſtatuas eorum erigentes, & adorãtes, ſurda & inſenſibilia idola. Et miror, quomodo videntes deos ſuos ab artificibus factos, & dolatos, & detruncatos, & præ vetuſtate temporis conſumptos, & diſſolutos, & conflátos, non ſapuerunt de ipſis, quia non ſunt dij. Qui enim de ſua ſalute nihil potuerunt agere, quomodo hominum prouidentiam habebunt? Sed poëtæ eorũ, & philoſophi Chaldæorum ſcilicet & Græcorum, & Aegyptiorum, volentes poëmatibus ſuis & ſcripturis venerari deos ſuos, maiorem confuſionem eorum & dedecus detexerunt, & nuda omnibus expoſuerunt. Si enim corpus hominis, cum de multis conſtet partibus, non reijcit tamen aliquid membrorum ſuorum, ſed erga omnia menbra indiciſſam vnitatem ſeruans, ſibimetipſi conſonat: quomodo in natura dei pugna, & diſcordia tãta eſt? Si enim

vna natura deorum eſſet, non deberet deus deos perſequi, nec occidere, nec affligere. Si autem dij à dijs inſectati ſunt, & occiſi & rapti, & fulmine icti, non iam vna natura eſt, ſed voluntates diuerſę, omnesque malignę. Itaque nullus ex eis deus eſt.

Manifeſtum eſt igitur, ô rex, errorem eſſe omnem de dijs phyſiologiam. Quomodo autem non intellexerunt philoſophi & rationabiles Græcorum, quoniam autores legum à ſuis legibus iudicantur? Si enim leges iuſtæ ſunt eorum qui iniqua egerunt, id eſt, inter ſe homicidia & veneficia, et adulteria, & furta et ἀϛσενοκοιτας, ſi bene fecerunt: iſtæ leges igitur iniuſtę ſunt aduerſus deos cernẽtes. Nunc autẽ leges iuſtę ſunt & bonę, bona laudantes, & mala fieri prohibentes: opera autem ipſorum deorum iniqua. Iniqui igitur ſunt dij eorum, & rei mortis vniuerſi, & impij, qui tales deos inducunt. Nam etſi fabuloſæ de ipſis ſunt hiſtoriæ, nihil ſunt niſi tantummodo verba. Si ergo phyſicæ, non iam dij ſunt qui iſta fecerunt, & paſsi ſunt: ſi autem allegoricæ, fabulæ ſunt, & non aliud aliquid. Oſtenſum eſt ergo, ô rex, omnes iſtos multorum deorum cultus, erroris opera & perditionis eſſe. Non conuenit enim deos nominare, vi

ſibiles

ſibiles & non videntes: ſed inuiſibilem omnia videntem, cunctorumq; creatorem oportet deum colere.

Veniamus ergo, ò rex, & ad Iudæos, vt videamus quid ſentiāt & ipſi de deo. Hi nanq; exiſtentes de ſtirpe Abraham, Iſaac, & Iacob, habitauerunt in Aegypto. Eduxit autem illos Deus inde in manu forti & brachio excelſo, per Moſen legiſlatorē ipſum, & prodigijs multis & ſignis notam fecit illis virtutē ſuam. Sed ingrati & ipſi apparuerunt & perfidi. Nam ſæpius dijs gentium ſeruierunt, & miſſos ad ſe prophetas & iuſtos interfecerunt. Deinde poſtquam complacuit filio Dei vt veniret in terrā, negantes eum, tradiderunt præſidi Pilato Romanorum, & crucifixerunt eum, immemores benefactorum eius, & innumerabilium miraculorum quę inter eos operatus eſt, & perierunt propria iniquitate. Colunt etiam nunc ſolum deum omnipotentem, ſed non ſecundum ſcientiam. Nam Chriſtum negant filium Dei, & ſunt ſimiles gentibus: licet appropinquare aliquo modo veritati videantur, à qua ſeipſos elongauerunt. Iſta de Iudæis dicta ſufficiant.

Chriſtiani autem à Chriſto dicuntur. Sic enim filius dei altiſsimi vocatur, qui de cœlo deſcendens propter ſalutē

hominum,de ſpiritu ſancto ex Maria virgine natus abſque virili ſemine, & ſalua matris integritate carnē ſuſcepit, & hominibus apparuit, vt à multorum deorum errore ipſos reuocaret. Qui mirabili ſua diſpenſatione per crucē morte guſtata, ſpontanea voluntate poſt tres dies reſurgens, per xl. dies cum eis conuerſatus, cœlos aſcendit. Cuius gloriam aduentus ex ipſa ſacra ſcriptura euangelica licet tibi (ſi placet) rex, agnoſcere. Vbi inuenies, quia duodecim habuit diſcipulos, qui poſt eius in cœlum reditum, exierunt in omnes orbis prouincias, docuerunt illius magnificentiam, quemadmodum vnus ex eis noſtras circuit regiones, dogma prædicans veritatis. Vnde qui adhuc miniſtrant iuſtitiæ prædicationis illorum, Chriſtiani vocantur. Et hi ſunt, qui ſuper omnes gentes terræ inuenerunt veritatem. Cognoſcunt enim deum creatorem & autorem omnium, in filio vnigenito & in ſpiritu ſancto, & alium deum præter illum non colunt. Habent mandata ipſius Domini Ieſu Chriſti cordibus exarata, & iſta cuſtodiunt, præſtolantes reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi.

Chriſtianorum verorum opera.

Non adulterantur, non fornicantur, non falſum teſtimonium dicunt, non concu-

concupiſcunt aliena, honorant patrem & matrem, & proximos amant, iuſta iudicant:& quæcunq; nolunt ſibi fieri, non faciũt alijs. Nocentes ſe obſecrát, & amicos faciunt. Inimicis benefacere ſtudent, mites ſunt & manſueti, ab omni copula iniuſta, & ab omni inuidia abſtinent, viduam non ſpernunt, orphanum non contriſtant: qui habet, non habenti libenter tribuit. Peregrinum ſi viderint, ſub tectum introducunt, & gaudent in eo quaſi in fratre vero. Non enim ſecundum carnem fratres ſeipſos vocant, ſed ſecundum animam. Parati ſunt pro Chriſto animas ſuas ponere. Nam præcepta illius firmiter cuſtodiunt, ſanctè & iuſtè viuentes, ſicut Dominus Deus eis præcepit, gratias agentes ei omni hora, in omni cibo & potu, & cæteris bonis. Veraciter enim hæc eſt via veritatis, quæ ambulantes per eam in regnum perducit æternum, promiſſum à Chriſto in futura vita.

Et vt noueris rex, quod nõ à me ipſo dico, ſcripturas intuens Chriſtianorũ, inuenies nihil extra veritatẽ me dicere. Bene igitur intellexit filius tuus, & iuſtè edoctus eſt ſeruire Deo viuenti, vt ſalutẽ ab eo in futuro ſeculo adipiſci mereatur. Magna enim & mirabilia ſunt, quæ à Chriſtianis dicuntur, & agũtur.

Non autem hominum verba loquuntur, ſed Dei. Reliquæ verò gentes errāt, & ſemetipſos decipiunt. Ambulantes enim in tenebris, impingunt in ſeipſos, quaſi ebrij. Hactenus ad te ſermo meus ô rex, à veritate in mente mea pronunciatus. Quapropter quieſcant ſtulti ſapientes tui, aduerſus Chriſtum vana loqui. Expedit enim vobis, Deum creatorem colere, & incorruptibilia illius auribus percipere verba, vt condemnationem euadentes & tormenta, vitę inextinguibilis hæredes eſſe mereamini.

Confutatis philoſophis Rex animi dolore atque furore vehementer commouetur. Nachor autem per Ioſaphatum ad Chriſti fidem conuerſus, è palatio profugit in vaſtiſsimam ſolitudinem, vbi à ſacerdote, quem fortè reperit, Baptiſmi ſignaculo Chriſto inaugurari poſtulauit. Rex verò philoſophos malè mulctatos eiecit, ac idolorum ſecum impotenitam conſiderans, vacillare ac nutare cepit, Ioſaphato interim plurimos ad verām fidem conuertente.

CAPVT XXVIII.

VT autem pertrāſiuit iſta Nachor, rex quidem furore concitabatur. Rhetores verò illius & ſacerdotes idolorum, muti ſtabant, non valentes contra dicere,

dicere, niſi quod infirma quędam & nullius momenti verbula muſsitabant. Filius autem regis exultabat ſpiritu, & lætabunda facie glorificabat Deum, qui in inuio tranſitum fecit confidentibus in ſe. Nam per hoſtem & inimicum veritatis, veritatem defendit, & erroris princeps, aduocatus recti ſermonis monſtratus eſt. Rex quidem quamuis atrociter iratus fuiſſet Nachor, nihil tamen in eũ exercere mali potuit, eo quòd corã omnibus iuſſerat ei, vt fiducialiter & ſine vllo timore ageret pro Chriſtianis. Multum tamen ipſe contradicens, ſubinferebat per ænigmata, vt cederet inſtantiæ diſputandi, & pateretur ſe vinci à rhetoribus. Sed Nachor multo magis conualeſcebat, diſſoluens omnes oppoſitiones eorum & ſyllogiſmos, & redarguens perſuaſionem erroris. Protracta verò ferè vſq; ad veſperam diſputatione, iuſsit rex diſſolui concilium, quaſi ſequenti die rurſus de his tracturus.

Filius autem ait regi: Sicut in principio præcepiſti iuſtum iudicium fieri domine, iuſticiam fini impone, de duobus alterum faciendo, aut meum magiſtrũ permitte manere mecum nocte iſta, vt ſimul conferamus de his, quæ opus eſt cras reſpondere aduerſarijs noſtris. Tu autem denuo tuos tecum aſſumẽs,

congrua vobis meditamini prout voluer itis,aut tuis mihi permiſsis, accipe meum ad te ipſum.Si verò vtrique fuerint apud te,meus quidem erit in tribulatione & timore, tui verò in gaudio futuri ſunt & requie. Et hoc mihi non videtur iuſtum eſſe iudicium, ſed violentiam eſſe poteſtatis,& fœderis præuaricationem. Superatus denique rex euidentia ſermonis,ſuis quidem philoſophis & ſacerdotibus penes ſe retentis,Nachor conceſsit filio, ſpem adhuc in illo retinens, & ſeruatùrum quę promiſerat arbitrans.

Abijt igitur regis filius ad palatiũ ſuum,quaſi quandam olympiacam victoriam de aduerſarijs reportans,habẽs ſecum Nachor.Quem ſingulariter aduocãs,ait ad illum:Ne putaueris me ignorare quis ſis.Scio enim diligenter te nõ eſſe ſanctum Barlaã,ſed Nachor aſtrologũ.Et miror,quomodo viſum eſt vobis talem ſimulare hypocriſim,&tantæ cęcitatis me putare eſſe, vt media die lupum pro oue ſuſciperem.Sed bene ſermo cantatur,Quia cor fatui vana cogitabit. Cogitatio igitur veſtra inanis, & conſilium illud vanum fuit,&omnino fatuum:ſed opus quod operatus es, omni intellectu plenum eſt. Ideo gaude Nachor & exulta.

Pluri

Plurimas tibi gratias refero, quod defenſor veritatis factus es, & nō cōtaminaſti labia tua pollutis ſermonibus, & doloſa ſimulatione, ſed potius illa purificaſti ab inquinationibus, errorem falſorum redarguēdo deorum, & veritatē Chriſtianorum dogmatum aſſerendo. Ego autē ſategi te mecum adducere duabus de cauſis, ne videlicet rex ſeorſum te ſuſcipiēs, tormētis addiceret, eo quòd non ſibi placita pronunciaſti: & vt gratiam hanc, quam hodie operatus es, tibi recompenſarem. Sed quę eſt retributio? Iſta ſcilicet, vt oſtendā tibi declinare à via mala & lubrica, per quā hactenus inceſsiſti, & ambules per rectā & ſalutarē ſemitam, quam non ignoranter, ſed ſcienter & ſpontè malè agendo effugiſti, barathris ac præcipitijs teipſum cōmittēdo. Intellige ergo Nachor intellectualis exiſtens, & præ omnibus ſolū deſidera Chriſtum, vt apud ipſum abſcōditam vitam lucreris, fluxa iſta & corruptibilia deſpiciens. Non enim per omne viues ſeculum: ſed cum ſis talis, diſcedes hinc poſt modicum, ſicut & omnes alij qui ante nos fuerunt. Et vę tibi, ſi graue peccati onus baiulans, ieris illuc vbi iudicium iuſtum, & retributio operū eſt, & non abieceris prius illud, cum facilis ſit eius depoſitio.

Nachor igitur compunctus animo in verbis iſtis, ait: Benedixiſti rex, bene dixiſti, noui enim & ego verũ, & qui non mentitur deum, per quem omnia facta ſunt, & futurum iudicium ſcio, quia ex multis ſcripturis hoc audiui: ſed mala conſuetudo veteris inoleuit erroris quæ oculos cæcauit cordis mei, & tenebras profundas aſperſit cogitationibus meis. Nunc autem in verbo tuo velamentum obſcuritatis reijciens, ad lumen curro vultus Domini: forſitan miſerebitur mei, & ianuã pœnitentię aperiet ſeruo nequam, apaſtatæ: licet impoſsibile videatur mihi remiſsionẽ peccatorum meorum (quę arena maris grauiora ſunt) poſſe adipiſci, quæ ſcienter & ignoranter peccaui ab infantia vſque ad hanc ætatem..

Hæc vt audiuit regis filius, mox ſpiritu ſancto inflammatus, intrinſecus in corde concaluit, & cogitationem Nachor ad deſperationem inclinatam, releuare cœpit, & ad ſtabilitatem fidei Chriſti erigere, dicens: Nulla ô Nachor, nulla ſit tibi in hoc dubitatio. Scri-
Mat. 3. ptum eſt enim: Poſsibile eſt Deo & de lapidibus iſtis excitare filios Abrahæ. Quod quid aliud quàm hoc eſt, ſicut pater ait Barlaam, de deſperatis & omnibus detentis iniquitatibus, ſaluari poſ-

ſe, &

ſe, & ſeruos fieri Chriſti. Qui propter ſummám benignitatis eminentiam, omnibus ad ſe conuerſis cœleſtem aperuit ianuam, nulli ſalutis denegans introitum, ſed miſericorditer pœnitentes recipit. Nã ideo & prima, & tertia, & ſexta, & nona, & vndecima hora æqualis omnibus merces redditur, ſicut ſacrum refert Euangelium. Itaque licet hactenus in peccatis cõſenueris, ſi flagrãti corde acceſſeris, eorum qui à iuuentute pondus diei & æſtus portauerunt, conſortio dignus efficieris. Hæc & alia multa de pœnitentia locutus ſanctiſsimus iuuenis, in malis inueterato Nachor, & pollicitus remiſsionem peccatorũ, promittensq́ue Chriſtum fore propicium, & plurimis èxemplis certificans, quia paratus eſt ſemper ad ſuſcipiendam pœnitentiam, languidam illius animã, velut quibuſdam medelis refocillans, plenè reſtituit ſanitati. Ait enim confeſtim Nachor ad illum: *Matt.* 20.

Tu quidem ô nobiliſsime anima pariter & corpore, bene inſtructus his mirabilibus myſterijs, perſeuera in bona cõfeſsione vſque ad finem, nullus modus vel tempus hãc de tuo corde amputet. Ego verò continuò vadã ſalutẽ meam quęrere, & per pœnitentiam Deum placare, quem irritaui. Non enim regis vl-

terius videbo faciem, ſi tu tantummodo volueris. Lętus igitur vehementer effectus eſt regis filius, & gratanter verbum ſuſcipiens, complexatus eum oſculatur: & attentiſsimè pro eo oratione fuſa, & commendans eum Deo, emiſit de palatio.

Egreſſus autē Nachor, compunctus corde, & ad profundiſsimam currendo quaſi ceruus peruenit eremum, & monachi cuiuſdam ſacerdotali honore pręditi, ſpeluncam attigit, vbi ille abſconſus latebat propter regis timorem. Cui humiliter proſtrat⁹, abluit pedes lachrymis, imitatus meretricem de euangelio, & diuinum poſtulabat baptiſmum. Sacerdos igitur cum diuina plenus eſſet gratia, intellexit illud diuinitus fieri, & continuo ſicut mos erat, catechizans eum, & inſtruens diebus non modicis, demũ baptizauit eum in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Manſit itaque Nachor cum eo, pœnitentiam agens de peccatis ſuis, & benedicens Deum, qui non vult aliquem perire, ſed omnium conuerſionem expectat, & pœnitentes benignè ſuſcipit.

Mane autem, diſceſſu Nachor cognito, rex decidit de ſpe quam retinebat in illo. Videns autem ſuos ſapientes & imprudentes rhetores ita facilè ſuperatos,

in

in defectu erat maximo. Et illos quidē contumelijs plurimis & dedecore affectos, quoſdam etiã & neruis vehementer flagellatos, nonnullos oculis orbatos, eiecit à facie ſua. Ipſe autē partim recognoſcere cœpit falſorũ deorũ infirmitatem, licet perfectè lumen Chriſti reſpicere tunc noluerit. Nam circunfuſa caliginis ſpiſſa nebula, adhuc cordis illius velabantur oculi. Veruntamen iã ſacerdotes non honorabat, neque feſtiuitates agebat, & libamina non exhibebat idolis, ſed vacillantē vtrobiq; mentem geſtabat: hinc quidem infirmitates recognoſcens deorum ſuorum, inde verò certitudinem atque diligentiam formidans euangelicæ conuerſationis: ſed radicitus malignis tenebatur moribus. Vehementer enim voluptatibus ſeruiebat corporis, & omnino vicijs, more captiui inhiabat, ebrius (ſicut Eſaias ait) ſed non à vino, & quaſi chamo prauæ conſuetudinis trahebatur.

Falſorum prophetarum merces.

Eſaiæ 51.

Sic ergo rege cum duabus luctante cogitationibus, nobiliſsimus eius filius, & verè imperialem poſsidens animam, in ſuo quieſcebat palatio, naturæ ſuæ ſtrenuitatē, ornatumq; atque profectũ operibus cunctis repræſentans. Theatrum nanque, & curſus equorum, & venationis inductiones, meditationes, & omnis

omnis iuuentutis inania ſtudia & ſedu ctiones, quæ ſunt imprudentium animarum illecebræ, pro nihilo computabantur, ab eo, ſed omnino Chriſti man datis inſtruebatur, & ipſum ſitiebat, vulneratam geſtans animam, eius amore, ipſumque deſiderans verè deſiderabilem, qui eſt tota dulcedo, & inſatiabilis ſuauitas.

In memoriam verò reducens magiſtrum Barlaam, & illius ſpeculans vi tam, amore illius liquefiebat. Et vt ipſum aliquando videre poſſet, ſolicitudi nem gerebat aſsiduam, & ſermones illius in corde circunferebat indeſinenter: ſimilis ligno quod plantatum eſt ſe cus decurſus aquarũ, irrigatum aſsiduè, & ſpecioſos afferens fructus Domino. Multas enim animas eripuit de principatu diaboli, & Chriſto ſaluandas obtulit. Plurimi enim ad ipſum venientes verba hauriebant ſalutaria. Vnde non pauci errore derelicto, veritatis viã indeclinabiliter tenebant. Nonnulli etiam ſecularibus abrenunciantes, eremiticam ſubibant paleſtram. Ipſe autem orationibus vacabat & ieiunijs, & frequenter hanc emittebat vocem, dicens: Domine Domine rex meus, cui ego cre didi, ad quem ego confugi, per quem & ab errore ſum liberatus, retribue merce dem

Ioſaphat Orationibus vacabat & Ieiunijs.

dem dignam ſeruo tuo Barlaam, qui mihi ad te reducto monſtrauit viam & veritatem, & vitam: & præſta mihi, vt citius videam in corpore illum angelum, quo mundus non eſt dignus, & cum ipſo peragam reliquum vitæ meæ, vt per veſtigia conuerſationis illius incedens, placeam tibi Domino meo.

Theodas magus ab idolorum ſacerdotibus euocatus deorum cultum inſtaurat, at regem tepidum, mirum in modum ad priſtinam inſaniam inflammat, cui ſuggerit vt filium impudicarum puellarũ congreſſu à propoſito deijciat.

CAPVT XXIX.

SEcundum tempus illud ſolennitas erat futura falſorum deorũ celeberrima, in ciuitate illa. Solebat autem rex intereſſe feſtiuitati, & ſacrificiorum largitate hãc exornare. Vnde metuebant templorum pontifices, cernentes eum negligenter circa cultum eorum, & tepidè ſe habentem, ne fortè ex toto ſubtraheret præſentiam ſuam à templis, & priuarentur ipſi regali munificẽtia, quę dabatur eis, & cęteris oblationibus. Surgentes itaq;, adeunt antrum in vaſtiſsima poſitũ eremo, vbi habitabat quidã vir magicis vacãs artibus, & idolorum erroris acerrim⁹ defenſor, Theodas nomine

mine. Quem rex honorabat magnificè, & vt amicum colebat & magiſtrum, dicens, per ipſius diuinationem ad augmentum & profectum perueniſſe ſuum regnum. Vt ergo ſordidi ſacerdotes peruenerunt ad illum, hunc in auxilium ſuum conuocant, & factam regi deorum hæſitationem, manifeſtam faciunt, & qualia regis filius egerit, qualiterque Nachor aduerſus eos publicè cõcionatus ſit. Et quia niſi ipſe (inquiunt) veneris nobis auxiliaturus, tota ſpes noſtra defecit, cunctique deorũ cultus perierunt. Tu enim ſolus nobis derelictus es in aduerſis conſolatio, & in te ſpem noſtram ponimus.

Surgit ergo Theodas cum præſenti ſibi diabolica malicia, & contra veritatem armatur: multosque malignorum ſpirituum vocans, quos ad mala facienda nouerat promptiſsimos, & quibus ille miniſtris ſemper vtebatur, cum his proficiſcitur ad regem. Vt autem nunciatus eſt regi aduentus eius, & intrauit quidem virgam obliuæ baiulans, meloте verò precinctus, ſurrexit rex de ſede ſua: & procedens obuiam illi, oſculatus eſt eum, & allata ſede, iuxta ſedere fecit. Tunc Theodas ait regi: Rex inæternum viue, maximorum deorum benignitate protectus. Audiui enim te certa-

men magnum egiſſe aduerſus Galileos, & ſplendidiſsimo victoriæ diademate eſſe coronatum. Ideoque veni vt lætabundam ſolennitatẽ ſimul celebremus, iuuenesq; pulcherrimos, & decoras virgines immortalibus dijs ſacrificemus, taurosque centum, & animalia plurima his offeramus, vt habeamus eos & deinceps adiutores inuictos, & per omnem vitam noſtram placabiles.

Ad hæc rex ait: Non vicimus ô ſenior, non vicimus, ſed debiliter potius ſuperati ſumus. Nam qui pro nobis putabantur eſſe, ſubitò cõtra nos facti ſunt: & bacchantem, & amentem, & infirmã noſtram inuenientes aciem, prorſus hãc deiecerunt. Nunc verò ſiqua tibi virtus adeſt & fortitudo, ad auxiliandum depoſitæ ſectæ noſtræ, & rurſus hanc erigendam, annũcia mihi. Tunc Theodas tales dedit regi reſponſiones: Galileorũ quidem congreſsiones & vaniloquia, noli rex formidare. Nam quid ſunt quę dicuntur ab eis aduerſus viros rationabiles & ſapientes? Quæ ſi mihi obuiauerint, multo facilius deijcientur, quã folium quòd à vento motum corruit. Neque enim antè faciem meam venire ſuſtinebunt, nedum & ſermonem mecum conferre, & interrogationes & oppoſitiones facere. Sed vt iſtud propoſitum

tum certamen,& totum quodcunq; vo lucrimus rectè nobis eueniat,& ſecundum votum res nobis procedat,exorna ſolennitatem hanc celeberrimam, & pi etatem deorum,quaſi quędam arma fortia indue,& bene tibi erit. Sic gloriabatur potēs in malicia, tota die meditans
Pſal.51. iniquitatem, (ſicut ait Dauid) & cooperationem malignorum ſpirituum,ex toto regem fecit obliuiſci verba ſalutaria, quę cor illius aliquantulum tetigerant, & ad conſueta penitus reuocauit. Vnde literæ regales vndique mox tranſmiſſæ ſunt,vt conuenirent omnes ad execrandam ſolennitatem deorum.Tunc videres confluentes multitudines populorum,oues & boues & diuerſa adducentium animalia.

Omnibus itaque congregatis,ſurgēs rex,cum ſeductore Theoda ad templū abijt,tauris ad ſacrificium adductis centum viginti,& alijs multis animalibus: & celebrant prophanam ſolennitatem, adeo quod reſonaret quidem ciuitas à vocibus brutorum animalium, & ipſe aër pollueretur nidore ſacrificiorū. His ita conſummatis, & nequitiæ ſpiritibus valde gloriantibus ſuper victoria Theodæ, & gratias eis referentibus templorum ſacerdotibus,rex iterum ad palatium redijt, & ait Theodæ: Ecce

icut iuſsiſti, totum impendimus ſtudi-
m in exornatione ſolennitatis, & ſacri
ficiorum liberalitate. Iam ergo tempus
eſt, vt promiſſa adimpleas, & filiũ me-
um qui à noſtris diſceſsit cultibus, ab er
rore Chriſtianorum liberes, & clemen
tibus dijs recõcilies. Ego enim omnem
artem & manus agitans, nullam mor-
bi huius inueni curationem, ſed omni-
bus potiorem eius reperi voluntatem.
Si manſuetè eum aggreſſus ſum & leni
ter, nec ſic mentem illius attendentem
mihi vidi. Si verò auſteritate vſus ſum
& contumelijs, ad ſuperbiam magis &
pertinaciam declinantem conſidera-
ui. Tuæ de reliquo ſapientiæ, quod mi-
hi contigit infortunium, committo. Si
ergo ab hoc liberatus, per te rurſus vi-
dero filium meum dijs ſeruientem, &
delectationibus voluptuoſæ vitę huius
& regni fruentem, ſtatuam tibi erigens
auream, ſicut dijs ſacrificabo illi, & ab
omnibus honorari te faciam per infini-
ta tempora.

Theodas igitur aurem attentè in-
clinans maligno, & ab illo edoctus cõ-
ſilium malum & exterminabile, lin-
gua illius & os effectus, ait ad regem.
Si recuperare tuum vis filium, & va-
nam illius peruicaciam deponere, inue-
ni artem, cui non præualebit reſiſtere,
ſed

ſed facile moleſcet rigida eius cogitatio, ſicut cæra à facie ignis. Rex autem vanum ſic ſuperuacuè ſe iacentem cernens, ad delectationem mox & alacritatem tranſpoſitus eſt, ſperans impudicam illam & audacem linguam circunuenire poſſe filij ſui à Deo doctam, & ſapientia plenam animã. Et diſcere volens quę eſſet ars illa, interrogauit eum. Tunc Theodas quaſi nouaculam, acutam præparat maliciam, & dirum condit veneficium, & contemplatur ſophiſma artificioſum, & à maligno ſuggeſtionem, & ait: Cunctis ô rex, aſsiſtentibus filio tuo & miniſtrantibus, longè ab eo remotis, mulieres decoras & valde ſpecioſas & ornatas introduci præcipe, vt ſint cum eo aſsiduè, & miniſtrent ei, conuerſentur & morentur cum eo. Ego autem de ſpiritibus vnũ, qui ad huiuſmodi mihi ordinati ſunt immittens, ei fortius libidinis ignẽ ſuccendam. Et poſtquam coierit ipſe cum vna ſola talium mulierum, niſi omnia tibi conceſſerit pro voto, deſpicabilis ero tibi, & de reliquo inutilis, & ſupplicijs dignus: Nihil enim vt facies mulierum adducere & ſeducere iuuenum cogitationes præualet, & audi narrationem meo ſermoni teſtificantem.

Inani

Inani fabula propoſita Regem in ſententiam ſuam adducens Theodas, vnã atque alteram puellam formæ præſtantia ſingulari ad Ioſaphatum deſtinat. Ille vero ad aſsiduas preces conuerſus, ac lachrymis laxãs habenas, & puellarum & dæmonum pariter oppugnantium conatus omnes irritos reddit.

CAPVT XXX.

QVidam rex filios mares habere nõ poterat. Vnde vehementer triſtis erat, & hoc infelicitatem eſſe non modicam æſtimabat. Qui cum in huiuſmodi eſſet anxietate, naſcitur ei filius. Et ſuper hoc gauiſus eſt gaudio magno. Dixerunt autẽ ei peritiſsimi medicorum, quod ſi infra decem annos ſolẽ vel ignem viderit, omnino lumine priuabitur. Hoc enim oculorũ illius poſitio ſignificabat. Rex itaq; vt audiuit talia, fertur ſpeluncam in quadam petra excidiſſe, & ibi filium cum nutricibus ſuis incluſiſſe, vt nullo modo vſque ad completionẽ decem annorum lucis claritatem videret. Finitis autem decẽ annis, de antro puer educitur nullam mũdialium rerum per viſum habens noticiam. Tunc iubet rex omnia ſibi ſecundum genus exhiberi, & oſtendi ei: viros quidem in vno loco, alibi verò mulieres. Hic aurum & argentum, ibi mar

garitas

garitas & lapides precioſos, veſtes ſplẽdidas & ornamenta, currus precioſos, cum equis regalibus frena aurea habentibus, & purpura coopertis, & aſcenſores armatos, & armenta boum, & greges ouium. Et, vt breuiter dicam, omnia ſecundum ordinem & genus oſtenderunt puero. Interrogante verò ipſo, quid horum vnumquodque vocaretur, regis miniſtri vniuſcuiuſque appellationem indicauerunt. Cum autem mulierum nomen diſcere anxiè quęreret, fertur ſpatarius regis ludendo dixiſſe, dęmones eas eſſe, que ſeducunt homines. Cor autem pueri illarũ deſiderio, plus quàm cæteris rebus anhelabat. Oſtenſis igitur ſibi omnibus ad regem reduxerunt eum. Tunc interrogat rex filium, quid amplius amaret ex omnibus quæ viderat. Quid (inquit) pater aliud niſi dæmones illos qui ſeducunt homines? Nullius enim horum quæ mihi hodie demonſtrata ſunt, ſicut illorum amicitia, exarſit anima mea. Et mirat⁹ eſt rex ille in verbo pueri. Et vide quam tyrannica res eſt amor mulieris. Et tu igitur nõ aliter putes ſuperare te poſſe filium tuum, niſi hoc modo.

Suſcipit verbum rex libenter. Et adducuntur ei preelectæ puellæ, decoræ, & valdè ſpecioſæ, quas & ornatu illu-
ſtrat

ſtrat ſplendido, vt amplius ad captiuandum puerum ſint idoneæ. Famulos quidem & miniſtros pueri omnes eiecit de palatio, illas verò in loco eorum conſtituit. Itaque ipſi aſsident ei, circumplectuntur, ad execrandum ſuum coitum illiciunt, omni geſtu & verbis inuitantes ad libidinem. Non habebat alium ad quem reſpiceret, aut cum quo loqueretur, vel cum quo conueſceretur. Ipſæ nanque erant ei omnia. Et iſta quidem rex faciebat. Theodas verò rurſus ad illam malignam ſpeluncam ſuam redijt, & libros ſuos reſpiciens, per quos talia operari poterat, vnum malignorum accerſiuit, & ad bellandum contra Chriſti militem tranſmiſit, ignorans miſer qualem deriſionem habebat ſuſtinere, & quanta confuſione repleri cum tota ſua cohorte diabolica. Malignus verò ſpiritus alios quoque nequiores ſe ſecum aſſumens dæmones, cubiculum adijt fortiſsimi iuuenis, & irruit in eum, vehementiſsimum carnis ſuccendens caminum. Et malignus quidem intrinſecus inflammabat, facie autem pulcherrimæ, ſed anima turpiſsimæ puellæ, exterius diræ libidinis excitabant ardorē.

Munda verò illa anima diaboli ſuggeſtiones ſentiens, & bellum cernens malarum cogitationū ſuper ſe fortiter

 venientium,

venientium, turbabatur, & ſolutionem tanti mali querebat inuenire, mundūq; ſeipſum exhibere Chriſto, ne cœno viciorum macularet ſanctam illam ſtolā, quam baptiſmatis illum induit gratia. Mox verò amori libidinoſo diuinum amorē oppoſuit, & in memoriā reduxit ſeipſum illius pulcherrimę & ineffabilis gloriæ, Chriſti immortalis ſponſi, mundarum animarum & nuptiarū. De quibus miſerrimè eijciētur, qui nuptialem polluerunt tunicam, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores. Hæc cogitans, & lachrymis perfuſus, percutiebat pectus ſuum, vt malignas inde cogitationes effugaret. Deinde ſurgens, et manus in cœlum eleuans, flagrantiſsimis lachrymis & gemitibus Deum inuocabat ad auxilium, & dicebat:

Oratio Ioſaphat aduerſus ingruentem carnis tentationem.

¶ Domine deus omnipotens, miſericors & miſerator, ſpes deſperatorū, & deſtitutorum adiutoriū, recordare mei indigni ſerui tui in hac hora, & propitio me oculo reſpice, & libera à gladio dęmoniaco animā meā, & de manu carnis vnicā meam, & ne ſinas me incedere in manus inimicorū meorū, ne ſupergaudeāt mihi qui oderūt me, ne derelinquas me corrūpi in iniquitatibus, & inquinare corpus meum, quod caſtum tibi exhibere promiſi. Te enim deſidero & te adoro

doro Patrem & Filium & Spiritũ ſan-
ctũ, nunc & ſemper & in ſecula ſeculo-
rũ. Et cùm dixiſſet, Amen, diuinã ſenſit
conſolationem cœlitus ſuper ſe venien
tem, & ſtatim malignæ diſceſſerunt co
gitationes. Ipſe vero vſque mane in ora
tione perſtitit. Et agnitis machinamen
tis diaboli, cœpit corpus ſuum amplius
affligere fame & ſiti & alia contritione.
Totis nanque noctibus ſtabat ſuper pe
des ſuos, ſibimetipſi reducens in memo
riam quæ promiſerat Deo: & deſcri-
bens in animo hinc iuſtorum ſplendo-
rem, & inde malorum gehennam cõme
morans aſsiduè, ne ocioſam & vacuã ſu
am hoſtis inueniens inimicus animã, co
gitationes illi malas facilè aſpergeret, et
mentis mundiciam pollueret. Vndique
igitur hoſtis deſtitutus, & omnino deſ-
perans ſeipſum taliter poſſe ſtrenuum
deijcere iuuenem, aliam vadit dirisſi-
mus hoſtis inuenire ſeductionem. Et
cùm ſemper malignus ſit ad nocendnm
& ad lædendum callidus, nunc multo
attentius ſatagebat, nihil omittens qua
tenus ad effectum perduceret quæ ſibi
à Theoda iniuncta fuerant, & tale rur-
ſus conficit veneficium.

Nam ingreſſus eſt vnã iuuencularum
illarum, quæ cunctis erat formoſior, &
regis erat filia, quæ captiua de ſua ali-

enata eſt patria, & regi Auenniro quaſi quoddam munus eximium, fuit oblata. Hanc, eo quòd eſſet pulcherrima, ad lapſum & ſupplantationem filij pater tranſmiſerat: eamque ſeductor (vt dictum eſt) ingreſſus, ſermones ei ſuggerit, intellectum atque prudentiam ſonantes illius intentionis. Omnia enim ad maliciam pertinentia machinamenta, facilè & citò malignus inuenit. Deinde regis filio à dextris corruens, com paſsionis charitatem erga puellam immittit ei, quaſi ſub obtentu intellectus & ornamenti mentis illius, quòd eſſet ingenua, & de regali genere, patria etiam Syra, & gloria eſſet priuata. Cum his & cogitationes ſubmittit ei, vt libe raret eam ab idolis, & Chriſtianam faceret. Sed hæc omnia fraudes erant ver ſuti draconis. Sic enim animum ſuum diſponens regis filius, & nullam cogitationem ſordidã, vel amorem vitioſum cernens in ſeipſo erga puellam commo tum, niſi tantum compaſsionem & mi ſericordiam, tam captiuitatis illius, quã animæ perditionis, nequaquam hanc rem putabat eſſe tunc diabolicam ſedu ctionem. Nam diabolus cum ſit autor tenebrarum, aliquando ſe in angelum lucis transformat. Vt ergo loqui cœpit puellæ regis filius, & diuinæ notitiæ ſi-

bi verba proferre, dicens.

O mulier, cognoſce viuentẽ in ſecula Deum, & noli hoc errore idolorum corrumpi, ſed Dominum IeſumChriſtum intellige autorem eſſe omnium rerum, & beata eris deſponſata immortali ſpõſo. Multaque alia dicente illo, mox ſpiritus malignus ſuggerit mulieri, vt ſeductionis expandat retia, & ad peccati foueam trahat Deo dilectam animam illam, quemadmodum primum hominem decepit per Euã, & à beata & immortali vita, & à Deo ſeparans, à paradiſo etiã extorrem in huiusvitę exilium præcipitauit. Vt enim audiuit puella verba illa omni ſapientia plena, ſtulta exiſtens non intellexit, ſed tales dedit reſponſiones, ceu lingua & os diaboli facta, & ait: Si meę ſalutis domine mi, ſolicitudinem geris, & cupis Deo tuo me offerre, & humilem animam meam ſaluam facere, fac & ipſe vnam petitionem meam, & omnibus ſtatim paternis dijs abrenuncians, tuo adhærebo deo vſque in finem vitæ meæ, ſeruitura ei, & mercedem recipies pro mea ſaluatione, & ad Deum conuerſione.

Tunc eo interrogante, quæ eſt poſtulatio tua ô mulier? illa habitum, & geſtum & oculos, & totam ſemetipſam ad libidinẽ transformans, inquit: Con-

iungere mihi nuptiarum copula, & ego præceptis tuis gaudens obediam. Cui ille: Inaniter ô mulier, talem mihi prætendis petitionem duram. Ego enim licet fortiter tuæ ſolicitudinem geram ſalutis, & de profundo perditionis deſiderem te extrahere: inquinare tamen corpus meum per turpem commixtionem, graue mihi eſt, & omnino impoſſibile. Illa autem totam complanans illi viam, & iniungens, Et quare (inquit) talia faris tu omni replete ſapientia? Vt quid pollutam rem & turpem vocaſti commixtionem? Non enim & ego expers ſum ſcientiæ Chriſtianorum librorum, ſed multa volumina legi in patria mea, multosq́ue Chriſtianos mecum colloquẽtes audiui. Nónne ſcriptũ eſt in quodam librorum veſtrorum. Honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus? Et, Melius eſt nubere quàm vri? Et, Quod deus coniunxit homo non ſeparet? An non omnes antiquos iuſtos patriarchas, ſed & prophetas vxores habuiſſe docent ſcripturæ veſtræ? Nónne Petrum illum, quem principem apoſtolorum dicis fuiſſe, coniugem ſcriptum eſt habuiſſe. Quibus igitur autoritatib⁹ fultus, nuptias pollutionem debes appellare: Valde mihi videris à veritate dogmatum veſtrorum errare. Cui ille reſpon-

Huc huc ô hæretici oculos admouete, qui Deo dicatas virgines & ſanctimoniales fœminas, quæ Virginitatem profeſſæ ſunt, Monachos item ſub nuptiarum prætextu ad incœſtum ſollicitatis, Videte hic friuolas rationes & ſophiſmata veſtra confutata, & impiorum dogmatũ vos eſſe ſatores cognoſcite, quæ non niſi à diabolo ſunt, cuius eſtis miniſtri.

Heb.13.
1.Cor.7.
Matthæi 19.

reſpondit.

Etiam mulier ſic ſe habent iſta, quemadmodum dixiſti. Nam permittitur volentibus vxores ducere, ſed non eis, qui ſemel promiſerunt Chriſto virginitatem illibatam ſeruare. Ego enim ex quo lauachro purificatus ſum diuini baptiſmatis, à iuuentutis & ignorantiæ meæ delictis, mundum meipſum ſeruare Chriſto ſpopondi. Et qua ratione quod Deo promiſi, violare potero, At illa rurſus ait: Sit & iſta tua voluntas, quemadmodum propoſuiſti. Aliam verò minimam quandam & ferè nullam petitionem meam perfice, ſi vis ſaluam facere animam meam. Concumbe mecum hac nocte tantum, & tua perfrui me patere pulchritudine, nec non & ipſe meo ſaciare decore, & promitto tibi quod ſummo diluculo Chriſtiana fiam, & omni abrenunciabo cultui deorum. Et erit tibi non ſolùm indulgẽtia pro diſpenſatione iſta, ſed inſuper munerum retributio pro ſalute mea à Deo tuo. Nam gaudium fit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Si ergo fit gaudium in cœlo propter conuerſionem peccatoris, autori conuerſationis nónne merces magna debetur? *Lucæ* 19.

Etiam ita eſt, & penitus indubitabi-

le. Nónne plurima & principes regionis veſtræ apoſtoli, ſecundum diſpenſationem egerunt, prætereuntes nonnunquam minus, propter maius mandatum? Nónne Paulus dicitur circuncidiſſe Timotheum propter meliorem diſpẽſationem? Et licet execrabilis ſit Chriſtianis circuncisio, tamen ille non reſpuit hanc facere. Et multa talia in ſcripturis tuis inuenies. Si ergo ſecundum veritatem ſaluare quæris animam meam, modicum iſtud meum comple deſiderium. Et ego quidem perfecta tibi copula nuptiarum coniungi poſtulans, quoniam mihi minime deſiderabile eſt, vlterius te non cogam, quæ tibi placita ſunt omnia tamen factura. Ergo & ipſe ne omnino me execreris, ſed acquieſcendo mihi ſemel in hoc, ſaluabis me, à ſuperſtitioſo idolorum cultu liberans, & tu deinceps quæ tibi viſa fuerint, facies omni tempore vitæ tuæ. Sic locuta eſt. Nam & habebat narrationem, cui & aures adhibebat ipſa occultè. Et ſcripturarum experientiſsimus eſt, totius malitiæ autor & magiſter diabolus.

Hæc igitur dicens, & blandiens, retiaq́ue & laqueos à dextris & à ſiniſtris circumplicans, fortitudinem animæ illius commouere cœpit, rigoremq́ue deponere propoſiti illius, & deliberationem

onem nutabundam efficere. Seminator autem malitiæ, & iuſtorum inimicus, vacillantem illius cor conſiderans, gaudio magno repletus eſt, & qui ſecum venerant nequitiæ ſpiritus, mox aduocat, vociferans: Videtis quomodo puella iſta concuſsit, quem nos non potuimus commouere? Venite ergo, fortiter irruamus in eũ. Aliud enim tempus non inueniemus ita congruum ad complendam voluntatem illius qui miſit nos. Hæc locutus verſipellis, & omni dolo plenus, cum ſuis canibus vnanimiter aggrediuntur Chriſti militem, omnesque illius animæ virtutes conturbant, & dirum amorem puellæ ſuggerẽtes, ignem vehementiſsimum concupiſcentiæ ſuccenderunt in eum.

Cernens autem ille ſeipſum fortiter inflammatum, & ad peccandum captiuatũ, puellæ ſalutem & ad Deum conuerſionem, quaſi hamo eſcam, propoſitæ actioni circumpoſitas, & occultantes ei non eſſe hoſtis ſubmiſsiones, id eſt, peccatum pro ſalute animæ ſemel mulieri miſceri, ingemiſcens defectionem animæ peſſundatæ, mox ſemetipſum ad orationem conuertit, & flumina lachrymarum ex oculis largiter profundens, clamabat ad Deum, qui ſaluos facit ſperantes in ſe: In te Domi

ne ſperaui, non confundar in ęternum. Neq; irrideant me inimici mei tua protectum dextera, ſed adeſto mihi in hac hora, & ſecundum voluntatē dirige viam meam, vt glorificetur nomen tuum ſanctum & glorioſum & terribile in me famulo tuo, qui es benedictus in ſecula, Amen.

Orans cum lachrymis per horas plurimas, & multas genuflexiones faciēs.

Per plurimas verò horas cum lachrymis orans, & multas genuflectiones faciens, collocauit ſeipſum in pauimento. Et ſoporatus paululum, videt ſemet ipſum à quibuſdam terribilibus raptū, & loca quæ nunquam viderat pertranſeuntem, & ad quoddam perductum maximum pratum decoris floribus & bene redolentibus exornatum: vbi arbores quidem cernit omnigenas & varias, fructibus extraneis quibuſdam et mirabilibus oneratas: foliaque arborum dulcem ſonum reddebāt, aura quadam grata agitata, & inſatiabilem & gratiſſimum odorem emittebant: ſedesque poſitæ erant de mundiſsimo auro, & lapidibus precioſis fabricatæ, nimirum ſplendorē reddentes, & lecti lucidi precioſiſsimis ſtramentis; quæ decore ſuo omnem narrationem ſuperant. Aquæ etiam preterfluunt lympidiſsimę, ipſos lætificantes oculos. Per mirabilem verò iſtum & maximum campum terribi

les

les illi deducentes illum, in ciuitatē introduxerunt, ineffabili fulgore ſplēdentē. Et ex auro quidē obryzo muri erāt, & de lapidibus quos nullus aliquando vidit, propugnacula altiſsima. O quis illius referre præualet ciuitatis decorē & claritatē? Lux autem deſuper infuſa radijs ſuis, omnes plateas ipſius illuſtrat, & ætherij quidā exercitus ſplendidi in ea cōuerſantur, canticū cantantes quod auris mortalis nunquam audiuit. Et vocem audiuit dicentem: Hæc eſt requies iuſtorū, iſta eſt lætitia eorū qui placuerunt Domino. Inde deniq; educentes illum reuerendiſsimi viri illi, repedabāt. Qui iucunditate illa & gaudio totus perfuſus, ait: Ne priuetis me rogo ineffabili gaudio iſto, ſed concedite me in vno præclarę ciuitatis huius angulo cōuerſari, Illi autem dicebant: Impoſsibile eſt te nunc hic eſſe, ſed labore multo & ſudore venies huc: ſi tamen tibimetipſi vim inferre potueris.

His dictis, & maximum illum campum rurſum tranſeuntes, ad loca deduxerunt tenebroſa, & omni fœditate & triſtitia & tribulatione & turbine plena, vbi fornax æſtuabat igne ſuccenſa, & vermium genus atque ſerpentium ibi erat inter flammas viuens, & animas crucians. Et vox audita eſt, dicens: Iſte

locus eſt peccatorũ. Iſta ſunt tormenta eorum, qui prauis actibus & turpibus ſemetipſos polluunt. Poſtea eduxerunt eum inde hi qui eum introduxerant, ſtatimq́ue in ſemetipſum reuerſus, tremebundus erat totus, fluminaq́; lachrymarum decurrebant ex oculis eius. Omnis autem pulchritudo illius impudicæ puellæ & cæterarũ, fœtidior ſtercore atq; putredine videbatur. Voluens autem in animo eorum quæ videbat memoriam, deſiderio bonorum & timore malorum ſuper lectum infirmus decubuit, nequaquam ſurgere valens.

Nunciatur ergo regi ægritudo filij: Qui poſtquam venit, interrrogat quidẽ quod acciderat. Ille autem refert ei per ordinem quę viderat, & ait: Vt quid laqueum pedibus meis præparaſti, & deijcere animam meã voluiſti? Niſi enim adiuuiſſet me Dominus, paulominus in inferno habitaſſet anima mea. Sed quã bonus Iſrael Deus rectis corde, qui & meam eripuit humilitatem de medio catulorum leonum, & dormiui conturbatus. Sed viſitauit me ex alto Deus ſalutaris meus, & oſtendit mihi qualibus priuauerunt ſe bonis, qui eum prouocant ad iracundiam, qualiumq; tormentorum pœnas ſuſtinebũt. Et nunc ô pater, quoniam aures tuas obturaſti, ne au

dires

dires vocem meam bona tibi ſuggerentem, ſaltem me ne prohibeas viam rectam incedere. Hoc enim deſidero, hoc ambio, id eſt, ab omnibus terrenis liberari, & ad loca pergere vbi Barlaã Chriſti famulus habitat, & cum eo reſiduum præſentis vitæ meæ expendere. Si autem vi retinere me volueris, videbis me repentè triſtitia & anguſtia mori, & neque tu pater de reliquo vocaberis, neque filium me vlterius habebis.

Signo crucis pelluntur dæmones. Ioſaphat cum Theoda diſputando commiſſus, acerrime tum ipſum increpat, tum muta ſimulachra deteſtatur, vnumque Deum prædicat.

CAPVT XXXI.

ITerum ergo defectus apprehendit regem, & rurſus tædet eum vitæ ſuę, et malè conuerſus ad ſemetipſum, in ſuum abijt palatium. A Theoda verò qui miſsi fuerant nequitiæ ſpiritus aduerſus ſanctum puerum redeuntes ad eum confuſi, deiectionem confitentur: & licet ſint mendaciſsimi, tamen caſum ſuę deiectionis apertè retulerunt. Ille autem ſic ait: Vos infirmi & miſeri, quomodo ab vno puero eſtis ſuperati? Túc maligni ſpiritus diuina virtute compulſi, in lucem (licet inuiti) veritatem pro-

tulerunt, dicentes: Non valuimns ſuſtinere, nec omnino reſpicere Chriſti virtutem & vexillum paſsionis eius, quod crucem vocant. Illo enim ſigno rediuimus eneruati, fugienteſque exuſti omnis aëris principes & rectores tenebrarum. Nam priuſquam perfectè eo ſignaretur iuuenis iſte, ſuper eum irruentes fortiter, conturbauimus eum: vt autem Chriſtum inuocauit in auxilium, & ſigno crucis armauit ſemetipſum, nos perſecutus eſt cum ira, & præſidium ſibimet tutiſsimum poſuit. Meditantes ergo inuenimus inſtrumentum, per quod & protoplaſto locutus eſt aliquando princeps noſter, & eum ſuperauit. Sed nunc pro nihilo reputati ſumus à púero iſto, & irrita facta eſt ſpes quam habuimus de illo. Nam inuocatus Chriſtus in auxilium, ignis ſupernæ iræ nos inflammauit, & in fugam conuertit, vt amodo non audeamus appropinquare ei Sic ergo maligni ſpiritus apertè nota fecêre Theodæ quæ facta fuerant.

Signum Crucis Chriſti, fugat dæmones.

Rex autem vndique deſtitutus, Theodam iterum aduocat. Cui & dixit: Omnia quę nos docuiſti ô ſapientiſsime, cōplentes, nullā vtilitatē conſecuti ſumus. Nunc autem ſi qua alia ars tibi reſidua eſt, & illius experientiam capiemus, fortè

tè inueniemus aliquam mali ſolutionē. Petente verò Theoda ad colloquiū veni re filij, mane rex ſecum aſſumens eum, ad viſitandum pergit filium. Et ſedens rex, loqui cœpit, exprobrans & reprehendens de inobedientia ſua, & pertinaci voluntate. Illo verò denuò confirmāte, & nihil præponēdum eſſe Chriſti claritate clamante, procedens in medium Theodas, ait: Quid cognouiſti ô Ioſaphat, in immortalibꝰ dijs noſtris, quòd ab eorum cultu diſceſsiſti, & patrem tuum regem, ita ad iracundiā prouocaſti, odibilis factus omni populo? Nónne ab ipſis tibi præſtita eſt vita? Nónne et ipſi exhibuerunt te patri, oratione eius exaudita, & de ſterilitatis eum vinculo liberauerunt? Plura autem vaniloquia & inutiles nugacitates in malis inueteratus proponens, & ſyllogiſmos cōfuſens, de prædicatione euangelij nolens quidem iſtum deridere, idolorum verò dogmata defendere, modicum ſuſtinens ſuperni regis filius, & vrbis illius ciuis quā fixit Dominus & non homo, ait ad Theodam.

Audi erroris profunditas, & palpabilium tenebrarum fœtor, Babylonium ſemen, & Chaldemicę turris conſtruentium, proles, propter quam mundus confuſus eſt, vaniloque ac miſerrime ſenex,

cuius

cuius & igne & fulgure concremata Pentapolis, leuiora ſceleribus operata eſt. Cur deridere conaris ſalutis prædicationem, per quam errabundi viam inuenerunt, per quam perditi & malè captiuati, reuocati ſunt? Quid melius eſt (dic mihi) Deo ſeruire omnipotenti, cũ filio ſuo vnigenito, & ſpiritu ſancto, Deo increato & immortali, principio & fonti bonorum! Cuius imperium inæſtimabile, & gloria incomprehenſibilis, cui aſtant milia milium & decies centena milia angelorũ & cœleſtiũ ordinum, & pleni cęli & terra gloria eius ſunt: per quem omnia de nihilo facta ſunt, per quem omnia continentur & gubernantur, & prouidentia illius reguntur: an dæmonibus perditis & inanimatis idolis, quorum gloria & laus adulterium eſt, & puerorum corruptio, & cætera impietatis opera, quæ de veſtris dijs ſcripta ſunt in inſtitutionibus ſuperſtitionis veſtræ?

Non erubeſcitis miſeri, & ignis inextinguibilis cibus, ſimilitudo generis Chaldaici, non confundimini mortuas ſtatuas adorantes, manus humanæ opera? Lapidem enim dolantes vel lignum cędentes, deum appellatis. Deinde meliorem de armentis taurum tollẽtes, vel aliud quod occurrerit decentiſsimũ de

anima-

animalibus, mortuo delubro ſacrificatis. Stulte precioſius eſt tuo idolo animal quod offertur ei. Nam idolũ homo fecit, animal Deus creauit. Et ideo longè te rationali intellectalius eſt irrationabile animal. Nam illud cognoſcit nutrientem ſe: tu verò Deum ignoras, per quem de nihilo factus es, per quem viuis & conſeruaris. Et appellas deũ, quẽ paulo antè vidiſti ferro cæſum, & igne conflatum, et malleis productũ. Quem argento & auro circuntexiſti, & de terra eleuans in alto collocaſti. Deinde corruens in terram, miſerum lapidem, miſerior illo, adoras, & non Deum, ſed opera manuum tuarum mortua & inanimata: imò neque mortuum vtiq; eſt iuſtũ, vocari idolum. Quomodo enim mortuum eſt quod nunquam vixit? Sed quoddam nouum oporteret inueniri ſibi nomen, tãta fatuitate dignum. Nã lapideus, puluis efficitur, ligneus corrumpitur, æneus fuſcatur, aureus & argenteus conflatur. Nec hoc ſolùm, ſed etiam diſtrahuntur dij tui alij modico, alij precio multo. Non enim diuinitas ineſt eis. Deum enim quis emit, deum quis vendit? Quomodo deus vocatur, qui non mouetur? An non cernis, quoniam quidem ſtans, nonquam ſedet: ſedens verò, nunquam ſurgit?

Erubeſce

Erubeſce ſtulte, & manum pone ſuper os tuum fatue, talia laudans. Nam à veritate alienatus es, mendacibusque figuris ſeductus, ſtatuas fingens, & operibus manuum tuarum dei nomen imponens. Euigila infelicißime, & intelli ge quod antiquior es tu deo à te facto. Iſta plurimæ ſunt inſaniæ. Confidis enim temetipſum cum ſis homo, Deum poſſe facere. Et quomodo poteſt hoc fi eri? Itaque non deum facis, ſed effigiem hominis, vel alicuius animalis, linguam non habentem, neque guttur, neque ce rebrum, neque aliquid interius. Itaque neq; hominis ſimilitudo neq; animalis, ſed omnino quiddam inutile & vanita te plenum. Cur ergo inſenſibilibus adularis? Cur immotis & inutilibus aßi des? Niſi enim ars fuiſſet cæſoris lapidum, vel architecti, aut ferrarij, deum vtique non habuiſſes. Niſi cuſtodes aßi derent, vtique tu deum perderes. Quem enim ſæpius vrbs populoſa inſipienter precatur vt deum, vt ab eo cuſtodiatur, huic cuſtodes pauci aßident, ne à furibus rapiatur. Et ſiquidem aureus vel ar genteus fuerit, ſolerter cuſtodietur: ſi verò lapideus aut luteus, vel alterius cuiuſlibet vilioris materiæ, ſemetipſum cuſtodiet. Forſitan robuſtior eſt luteus apud vos aureo.

Non

Non eſt igitur congruum, vos inſipientes & cæcos & ſine intellectu, iuſtos ſubſannare, ſed potius voſmetipſos deflere. Amentiæ quippe, non pietatis ſunt opera veſtra. Nam ſtudioſus bellorum, militaris aſpectus ſimile idolum erigens, vocauit Martem. Alius autem mulierum concupiſcentia ſuccenſus, vitium ſuum deum fecit, quem vocauit Venerem. Iſte autem propter ſuam vinolentiam finxit idolum, quod vocauit Bacchum. Similiter verò & aliorum malorum concupiſcentes, ſuorum vitiorum ſtatuerunt idola. Nam paſsiones ſuas deum vocauerunt. Et ideo in delubris ſuis impudicæ fiunt ab eis ſaltationes, & luxorioſa cantica reſonāt, & furioſi in impetu fiunt. Quis autem horū per ordinem abominabilem edicet actionem? Quis ſuſtinebit illorum turpidines, referendo os ſuum inquinari? Sed omnibus manifeſta ſunt, etſi nos taceamus. Iſti tui cultus ſunt, ô Theoda, ſtatuis inſenſibilior. Hæc me ſuades adorare, hæc colere? Tuæ veraciter eſt malitiæ & ſtultę voluntatis, tale conſilium. Sed ſimiles illis fiant, tu & omnes qui confiditis in eis.

Ego verò Deo meo ſeruiam, & ſacrificabo totum meipſum Deo creatori & prouiſori vniuerſorum, per Do-

minum

minum noſtrum Ieſum Chriſtum ſpem noſtram: per quem acceſſum habemus ad patrem luminum in ſpiritu ſancto, per quem redempti ſumus de amara ſer uitute in ſuanguine eius. Niſi enim hu miliaſſet ſemetipſum vſque ad formā ſerui, nūquam nos filiorum adoptione digni eſſemus. Humiliatus eſt ergo pro
Phil.1. pter nos, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo. Nam quod erat, per manſit: & quod non erat, aſſumpſit. Locutus eſt hominibus, aſcendit in crucē carne ſua, poſitus eſt in ſepulchro tribus diebus, deſcendit in infernum, eduxit eos quos vinctos tenebat ſęuus mū di rector venundatos ſub peccato, reſur rexit die tertia, aſcendit in cœlum, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Quæ igitur ſibi ex his læſio facta eſt, quem ſubſannare videris? An non cernis ſolem iſtum quot & quantis tranſmittit radium ſuum locis inhoneſtis & ſordidis, & quanta corpora reſpicit fœtida atque putentia? Nunquid aliqua ſibi ex his prouenit macula? Nōnne potius ſordida & fœtentia, atque ſaniem decurrentem deſiccat, aſtringit, tenebroſa verò illuminat, & illæſus omnino & intactus ab omni macula permanet? Quid verò ignis? Nonne frigidum ferrum & nigrum ſuſcipiens in

ſeipſo

ſeipſo, flammigerum totum atque igni tum efficit? Nunquid recipit ferri proprietates? Nunquid cæſo ferro malleis, & concuſſo, patitur aliquid ignis, aut læſionem vllo modo ſuſtinet?

Si ergo creaturas iſtas corruptibiles, nihil ex ſocietate viliorum pati cõſtat, qua ratione ô ſtulte & lapidei cordis, reprehendere præſumis, dicens, quia filius & verbum dei nullo modo diſcedens à paterna gloria, ſed Deus exiſtẽs, pro ſalute hominum ſuſcepit corpus humanum, vt homines participes diuinæ & intelligibilis naturæ faceret, & de inferno educeret ſubſtantiam noſtram, & cœleſti gloria donaret, vt principem tenebrarum ſeculi huius, aſſumptione carnis illiciens ſubijceret, & genus noſtrum ab illius tyrannide liberaret? Vnde impaſsibilis ſuſtinet paſsionem crucis, duas naturas manifeſtans ſuas. Nam vt homo crucifigitur, ſed ſicut Deus ſolem obſcurat, commouet terram, & multa qui dormierant ſuſcitauit corpora ſanctorum de monumentis. Rurſus vt homo moritur, ſed ſicut Deus reſurgit, ſpolians infernum. *Matt.27.* Ideo clamat propheta: Infernus lætatus eſt, obuiãs tibi deorſum. Nam exultabat, hominem putans ſe ſuſcipere infirmum: ſed in Deum incidit & inanis

ſubitò effectus eſt , & captiuus. Surgit ergo ſic vt Deus, & redijt in cœlũ, vnde nunquam diſceſsit, & naturam noſtrã prius deſpicabilem & omnibus inferiorem, ingratã & inhonoratã, omnibus ſuperiorem effecit, & in throno gloriæ collocauit. Igitur quę ipſi de verbo huic facta eſt læſio, quod blaſphemare non deſinis? Quid enim pulchrius quam iſta confiteri, & talem colere Deum bonũ ac benignum, qui mandat iuſtitiam, cõſtantiam imperat, mundiciam iubet, miſericordiam docet, fidem exhibet, pacem prędicat, ipſa veritas nominatur, & eſt ipſa charitas, ipſa bonitas? Hunc melius eſt colere, quam deos tuos nefarios & vicioſos, turpes pariter actibus & nominibus. Væ vobis qui eſtis lapidibus duriores, & irrationabilibus irrationabiliores, filij perditionis, tenebrarũ hæredes. Beatus verò ego & omnes Chriſtiani Deum habentes bonum & benignum. Nam qui ei ſeruiũt, etſi modico tempore in hoc ſeculo mala ſuſtinent, ſed immortalem retributionibus fructum vindemiabunt in regno perenni, & diuinam beatitudinem.

Ieſaphato euangelij fideiq́ue lucem aperiente, atque deorum infirmitatem & abſurditatem confutante, cum Theodas veluti

luti tonitrui fragore percelleretur, Rege & conſiliarijs præſentibus in Chriſti religionem manibus pedibusque concedit, ac omnes ſuperſtitionis ſuæ libros flammis corrumpit.

CAPVT XXXII.

DIxit autẽ ad eũ Theodas: Ecce manifeſtum eſt quod noſtrã ſectam multi & magni ſapientes, & narratores tam virtute quàm ſcientia mirabiles tradiderunt, & omnes reges terræ & potentes ceu bonam & nihil falſitatis habentem ſuſceperũt. Galilæorum verò, ruſtici quidam pauperes & viles homines prædicauerunt, & ipſi pauci numero, nec duodenarium ſupergredientes. Quomodo ergo paucorum, & ignobilium atque ruſticorum prædicatio præponenda eſt multorum & magnorum, ſapientia tanta ſplendentium, traditioni? Quæ eſt autem aſſertio, hos vera dicere, & illos mentiri? Rurſus ergo regis filius reſpondit:

Forſitan Theoda aſinus es, lyram rationis audiens, & ſine intellectu permanens, vel potius aſpis obturans aures, ne audias vocem incantantium. Bene igitur propheta ait de te: Si mutauerit Aethyops pellem ſuam, & pardus varietatem ſuam, & tu poteris benefacere, cùm didiceris mala. Stulte Hie.13.

te, & ecce quomodo non reducis te in ſenſum veritatis? Hoc enim ipsū quod à multis quidem ſapientia admirandis veſtri cultus laudati ſunt, & multis regibus defenſi, prædicatio verò euangelij à paucis & ignobilibus viris prædicata eſt: oſtendit diuini cultus noſtri virtutem, & veſtrorum malignorum dogmatum infirmitatem, & exterminium. Nam veſtra licet aduocatos habuerint ſapientes, & defenſores fortiſsimos, tamen extinguuntur, & debilitantur: noſtra verò nullo humano fulta auxilio, lucent ſplendidiora ſole, & mundi obtinent plenitudinem. Si enim à rhetoribus & philoſophis expoſita fides noſtra fuiſſet, regesque & potentes habuiſſet cooperatores, meritò dicere poſſes humana virtute totum fieri: nunc autem cernens à piſcatoribus quidem vilibus ſanctum compoſitum euangelium ab omnibus verò tyrannis perſecutum, & poſtea orbem impleſſe vniuerſum
Pſalm.18. (nam in omnē terram exiuit ſonus eo-
Rom.10. rum, & in fines orbis terræ verba eorū) quid dicere potes aliud quàm diuinam quandā eſſe & inexpugnabilem virtutem, pro ſalute hominum ſemetipſam aſtruentem? Quam ergo aſſertionem requiris inſenſate, mentiri quidem tuos, vera autem dicere noſtros, his quę dicta

ſunt

ſunt potiorem? Si enim non deliramenta eſſent & mendacia omnia tua, nunquam, tantam obtinentia ob omnibus fortitudinem & defenſionem, ſic eſſent imminuata et infirmata. Vidi enim (inquit) impium ſuperexaltatum & eleuatum, ſicut cedros libani. Et tranſiui, & ecce non erat. Quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. De vobis iſta dixit propheta propugnatoribus idololatriæ. Modicum enim quantulumcunq;, et non inuenietur locus veſter: ſed ſicut deficit fumus deficiens, & quemadmodum liqueſcit cera à facie ignis, ſic peribitis. *Pſalm.36.*

De euangelica vera & diuina noticia inquit Dominus: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Et iterũ Pſalmographus ait: Initiò tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Et quidam diuini præcones aduentus Chriſti, ſapienteſq; orbis prædicatores omnes traxerunt de profundo erroris, quos nunc infelix & verè ſeruus peccati deſpicis. Nam ipſi reſplenduerunt ſignis & prodigijs, & va- *Luc.12.* *Pſal.101.*

rijs virtutibus velut ſol in mundo, cæcis lumen donantes, ſurdis autem auditum vel claudis greſſum, mortuis vitam exhibentes. Nam vmbræ illorum ſolæ, omnes languores hominum curabant. Dæmones quos vos timetis quaſi deos, non ſolùm ab hominũ pellebant corporibus, ſed etiam ab ipſo extirpauerunt mundo crucis ſigno, per quod omnem perdiderunt machinam, & omnia veneficia inefficacia eſſe fecerunt. Et illi quidem humanam ita ſanantes infirmitatem Chriſti virtute, & creaturam totam renouantes, ceu veritatis præcones, meritò admirabiles videbantur omnibus recta ſapientibus. Quid ergo potes dicere de ſapientibus tuis, & rhetoribus, quorũ ſtultam fecit Deus ſapientiam? Fautores diaboli, quid memoria dignum reliquerunt ſeculo? Quid potes dicere de ipſis, niſi irrationabilitatem & turpitudinem, & artem vanam, ornatu verborum cœnum contegentem fœtentiſsimæ ſectæ veſtræ?

Sed & ipſorum poetarum quicunque viſi ſunt aliquo modo à multa reſipuiſſe inſania, quod verius eſt dixerunt, quod hi qui dicuntur dij, homines fuerunt, & eo quod quidam illorum ædificauerunt ciuitates, & regiones gubernauerunt, vel quodlibet aliud egre-

egregium facinus ſecundum ſeculum fe cerunt, errantes homines deos eos voca uerunt. Nam in initio Seruch ille dicitur idola reperiſſe. In antiquis nempe temporibus quiſquis vel fortitudinis vel amicitiæ ſuæ vel alicuius alterius in duſtriæ opus memoria dignum oſtendiſſet, ſtatuis fertur & imaginibus fuiſſe honoratus. Poſtea verò homines prę deceſſorum ſuorum ignorantes intentionem, quod propter memoriam ſolam eis qui aliquid fecerunt laudabile, ſtatuas & imagines erexerunt, paulatim errantes, diabolica ſeducti verſutia, quaſi immortales & incorruptibiles homines adorauerunt, & ſacrificia eis & libamina obtulerunt, certumq; dæmonibus in idolis habitantibus ad ſe honorem & ſacrificia trahentibus. Nam illi eis qui non probauerunt deum habere in noticiam, perſuaſerunt deos ſe credi duabus ex cauſis, vt illi quidem in appellatione iſta gloriarentur. Delectantur enim, nimirum ſuperbia & arrogãtia pleni, quaſi dij honorari, vt eos quos ſeduxerunt, in præparatum ſibi pertrahant ignem. Vnde omnem illos docuerunt impietatem ac turpitudinẽ, vt ſuæ ſubderent ditioni. Ad hanc igitur eminentiam malorum peruenientes homines, obtenebrati mente, vnuſ-

quiſque ſui vitij, & propriæ concupiſcentiæ erexit ſtatuam, & deum nominauit, abominabiles errore, abominabiliores impietate eorum quos adorauerunt effecti, donec veniens Dominus per viſcera miſericordiæ ſuæ liberauit nos qui credidimus in eum, de maligno hoſte & perdito errore, & docuit veram Dei noticiam. Non eſt enim ſalus niſi in ipſo, & non eſt alius Deus neque in cœlo, neque in terra, niſi ipſe ſolus omnium factor, omnia portans verbo virtutis. Verbo enim Dei cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.

Act.4. *Heb.1.* *Pſal.32.* *Ioan.1.*

Theodas autem his auditis ſermonibus (quia ſermo plenus erat diuinæ ſapientiæ) quaſi tonitui fragore conſternatus, ſine voce obſtupuit. Serò aũt & vix ſuam ſenſit miſeriam. Tetigit autẽ obtenebratos cordis illius oculos ſermo ſalutaris. Multam igitur de prioribus actibus ſuis pœnitentiam gerẽs, et idolorum errorem condemnans, ad lumen veritatis cucurrit. Et ex illo tempore ita à maligna conuerſatione diſceſſit, & tantum ſeipſum execrandis vitijs & magicis artibus hoſtẽ exhibuit, quantum ante hoc tempus erga illas amicitiam habuit. Tunc enim in medio conſilij

filij ſtans,rege præſidente, magna voce clamauit: Verè rex,ſpiritus Dei habitat in filio tuo. Veraciter victi ſumus, & nullam vltrà reſponſionem habemus, vel reſiſtere his quæ ab eo dicta ſunt præualemus. Verè magnus eſt Deus Chriſtianorum,magna fides eorũ, magna myſteria. Cõuerſus ergo ad filium regis,ait:

Dic mihi illuminata anima, ſuſcipiet me Chriſtus,ſi diſcedens à malis acti bus meis,conuertero me ad ipſum? Etiam(inquit) veritatis præco, etiam ſuſpiet te, & omnes qui conuertuntur ad ipſum. Suſcipiet autem non qualitercunque,ſed ſicut pater filium, qui de lõ ginqua reuerſus eſt regione, id eſt, de via iniquitatum conuerſus eſt, obuiam exiuit, & hunc apprehendens oſculatus eſt, & peccati confuſione ſublata, mox eum veſte induit ſalutari, & ſtola ſplendidiſsima circumdedit,myſticamque ſupernis virtutibus lætitiam & ſolennitatem pro conuerſione perditæ ouis exhibuit. Nam ipſe Dominus ait, gaudium fieri in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Et iterum dicit: Non veni vocare iuſtos,ſed peccatores in pœnitentiam, Deinde & per Prophetam: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij,ſed vt conuertatur de

Luc.15. *Matt.18.* *Luc.5.* *Ezech.18.*

via ſua mala, & viuat. Conuerſione conuertimini de via veſtra mala, & quare moriemini domus Iſrael? Iniquitas enim iniqui non nocebit ei. In quacunq; die conuerſus fuerit ab impietate ſua peccator, & fecerit iuſtitiã, & in præceptis vitę ambulauerit, vita viuet & non morietur. Omnia peccata illius quę peccauit, non recordabuntur. Quia iudicia
Eſaiæ 1. iuſtitiæ fecit, in ipſis viuet. Et rurſus per aliũ prophetam clamat: Lauamini, mundi eſtote, auferte malũ cogitationũ veſtrarũ ab oculis meis, quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere. Et ſi fuerint peccata veſtra ſicut phœniciũ, vt nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erũt. Talibus ergo propoſitis à Deo promiſſionibus, his qui ad eum conuertuntur, noli hęſitare ô homo, neq; ambigas, ſed veni ad Chriſtum, benignum Deum noſtrum, & illuminare, & facies tua nõ confundetur. Mox enim vt deſcenderis in piſcinam diuini baptiſmatis, omnis confuſio veteris hominis, et tota ſarcina multorum peccatorum ſepelietur in aqua, & in nihilum defluet. Iuuenis verò tu inde & ab omni ſorde mundus exibis, nullam maculam vel rugam peccati deferens tecum. Et de reliquo in te erit, vt conſerues tibimetipſi adeptam

pram emundationem, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri.

Theodas igitur his inſtructus ſermonibus, exit continuò, & execrabile illud antrum repetens, & ſuæ magicæ artis libros aſſumés, velut totius autores maliciæ, & myſteriorum dęmonicorum theſauros igne combuſsit. Deinde verò ſpeluncam adijt ſacratiſsimi illius viri, ad quem Nachor venit, & de ſe narrat omnia, puluerem ſuper caput ſuum aſpergens, graues gemitus emittens, & abluens ſemetipſum lachrymis, per ordinem etiam ſeni execrandas ſuas referens actiones. Ille verò cum ad ſaluandas animas, & de fraudulenti draconis faucibus rapiendas artificioſus eſſet, incantat illum verbis ſalutaribus, peccatorum remiſsionem promittit, propicium ſpondet fore iudicem. Deinde catechizans eum, ieiunare multis diebus pro his quæ deliquerat, mandauit, lachrymis & gemitibus Deum pro illo exorans.

Auennir conſilio Arachis filium diademate ornat, ac bonam regni partem illi trã ſcribit, qui confeſtim dedicato templo Chriſti crucem adorari præcepit. Deinde Ioſaphat quotidiano hortatu multo maximam populi partem Chriſto lucrifecit, Chriſtiani

 etiam

etiam qui exilio olim mulctati fuerant, poſtliminio læti ſunt reuerſi.

CAPVT XXXIII.

Ecce Ieiunium indictum pro Peccatorum cõmiſſorum ſatisfactione, cõtra nouos hæreticos.

HIs itaque peractis, rex vndiq; deſtitutus, vehemẽter triſtis erat, et plurimam cõmotionem in animo ferebat. Conuocans autem rurſus quotquot de conſilio habebat, diligenter perquirebat ab eis, quid de reliquo, ſuo faceret filio. Multa autem conſilia multis ſupponentibus, Arachis ille ſuperius memoratus, illuſtrior ducatu, & primus conſilij exiſtens, ait regi: Quid oportebat rex filio tuo facere, & non fecimus, ſuadendo ei noſtra ſequi dogmata, & noſtris ſeruire dijs? Sed vt video, ad impoſsibile nitimur. Nam ex natura ineſt ei, vel fortè ex fato, contentio iſta, atq; duritia. Igitur ſi tormentis eum tradere volueris, et cruciatibus, tu hoſtis eris naturæ, & pater non vocaberis, & illum amittes pro Chriſto mori cupientem. Reſtat igitur iſtud ad faciendum, id eſt, vt diuidas ei regnum, et in parte quę cõtigerit ei, regnare permitte. Et ſiquidem rerum negotia, & cura ſeculariũ traxerint eum ad noſtrum laborem ſequendum & vitam, ex ſententia nobis res proueniet. Nã mores fortiter in animo roborati, facilè deleri nõ poſſunt: & ideo ſuaſione potius, quàm vi ſunt tranſ-

tranſmutandi. Si autem in ſecta permã ſerit Chriſtianorum, hoc ipſum, non amiſiſſe te filium, erit tibi magnũ defectionis ſolatium. Hæc Arachi dicente, omnes laudauerunt ſuſcipientes conſilium. Cõſentit itaq; rex ſic iſta diſponi.

Mane autem facto, & accerſito filio, rex ait ei: Iſte mihi vltimus iam ad te ſermo fili: cui niſi confeſtim obaudieris & ſaltem in hoc cor meum recreaueris, non vltrà (bene ſcias) parcã tibi. Illo verò ſciſcitante, quæ virtus eſt verbi: Quoniamquidem (inquit) multum laborans, inobedientẽ te ad omnia reperi, vt acquieſceres ſermonibus meis: veni, iam regnum diuidens, in vnã parte te eſſe, & regnare te faciam, & erit tibi amodo licitum quamcunquẽ deſideras pergere viam. Cognoſcens aũt illa diuina veraciter anima, & iſtud ad lapſum ſuæ deliberationis proponere regẽ, tamen obedire conſenſit, vt ipſius manus euaderet, & deſideratam ſibi viam ambularet. Suſcipiens autem ait regi: Ego quidem deſiderabam diuinũ illum quærere virũ, qui oſtendit mihi viam ſalutis, vt omnibus abrenũciando terrenis, cum ipſo reſiduum vitæ meæ expenderem. Sed quoniam me pater nõ permittis vt deſiderata peragam, in hoc obediam tibi. Nam in quibus non adia-

cet manifeſta perditio, & à Deo alienatio, bonum patri obedire eſt.

Rex igitur maximo repletus gaudio, diuidit ſtatim in duas partes vniuerſam ſibi ſubiectam prouinciam, ordinat filium regem, ornat diademate, & omni hunc regali illuſtrans gloria, in deſignatum ſibi dirigit regnum, cum ſplendido comitatu, & decenti obſequio. Principibus autem & ducibus, magiſtratibusque & ſatrapis præcepit licere omni volenti abire cum filio ſuo rege: & ciuitatem quandam magnam & populoſam conſtituit ei in caput regni, & omnia tribuit quæ erant congruentia regi. Tunc iam Ioſaphat regni poteſtate percepta, cum peruenit ad ciuitatem in qua regnaturus erat, paſsionis quidem ſignum, id eſt Chriſti crucem venerandam in vnaquaque vrbis turriũ poſuit. Templa verò idolorum & delubra in ſtatuis inſequens deſtruit, & vſq; ad fundamenta diruit, ipſaq; etiam fundamenta effodit, nullas impietatis reliquias derelinquens.

Templum magnum & ſpecioſum Ioſaphat Domino Chriſto ædifi-

In medio autem ciuitatis templum magnum & ſpecioſum Domino ædificat Chriſto, & præcepit multitudini, vt ibi frequenter conueniant ad exhibendum Deo cultum per ſanctæ crucis adorationem. Tunc in medium ante omnes

'mnes ipſe præcedit, intentiſsimæ ſe tradens orationi. Omnes autem qui ſub ipſius erant poteſtate admonet, obſecrat, omnia facit impenſius, quatenus à ſuperſtitioſo dæmonum errore ſeparet eos, & Chriſto reconciliet. Deceptionem oſtendit idololatriæ, & prædicationem inſinuat euangelij, Dei verbi deſcenſionem docet & miracula, prædicat aduentum eius, paſsionem notificat crucis per quam ſaluati ſumus, reſurrectionis virtutem & ad cœlos aſcenſionem, metuendam cunctis denunciat diem terribilis illius aduentus, repóſitaq; fidelibus bona, & ſuſceptura peccatoris ſupplicia. Hæc omnia ſuauibus moribus, & mellifluis pertrãſit ſermonibus. Non enim tantum eminentia poteſtatis regali munificentia ambiebat venerabilis eſſe ac metuẽdus, quantum humilitate & manſuetudine. Et eo amplius trahebat ad ſe ipſum, quo erat quidem operibus mirabilis, manſuetus & modeſtus moribus. Vnde poteſtas, humilitate & manſuetudine magnis adiunctis ſibi cooperatoribus, omnes obedire ſuis facilè perſuaſit ſermonibus.

cat, præcipit vt illuc omnes conueniant ad exhibendum Deo cultum per ſanctæ Crucis adorationem. Quid hic dicent hæretici?

Itaque ſic in breui tempore cunctus ſibi ſubiectus populus, ciues ſcilicet & ruricolæ diuinis illius edocti ſermoni-

bus, vt abnegarent quidem multorum deorum errorem, & abrumperentur ab idolorum ſacrificijs & abominationibus, rectæq; iungerētur fidei, & eius certiſsimis doctrinis Chriſto reconciliarentur. Omnes qui in montibus & ſpeluncis propter timorem patris illius incluſi fuerant, ſacerdotes ſcilicet & monachi, & epiſcoporum pauci, egreſsi de abditis ſuis, ad eū gaudentes veniebāt. Ipſe autem eos qui propter Chriſtum in talibus deciderant malis & tribulationibus, obuiam exeundo honorificè ſuſcipiebat, & in ſuum introducebat palatium, pedes lauans, capita abluens, & omnimodo eos procurans. Deinde nouiter à ſe ædificatam eccleſiam dedicat, & quendam epiſcopum, qui multa propter fidem Chriſti mala paſſus fuerat, & ſui epiſcopatus amiſerat ſedem, archiepiſcopum in hac conſtituit, virum ſanctū, et eccleſiaſticis inſtitutionibus eruditum, zeloq; diuino feruentem. Piſcinam aūt confeſtim præparat, baptizari eos qui ad Chriſtum cōuerſi fuerant, iubet. Et baptizantur principes prius, & quotquot in dignitate erant: deinde milites, & reliqua turba. Et baptizati non tantum animarum recipiebant ſanitatem, ſed etiam quantiſcunque languoribus fuerant grauati corporalibus, &

Dedicat Eccleſiam Ioſaphat à ſe ædificatā. Quod nota contra ſubuerſores noſtros qui Eccleſiarum dedicationes derident, ipſi magis deridendi, ſeu potius deflēdi.

& febribus vexati, omnia deponentes, anima purificati, corpore roborati, à diuino fonte egrediebantur, curatione adepta animarum ſimul & corporum.

Hinc & confluebant ad regem Ioſaphat vndiq; multitudines, pietatem ab eo diſcere quærentes, et omnia quidem ſubuertebant templa idolorum. Tollebantur verò omnes diuitiæ, & repoſitę in phanis pecuniæ. Sacra autem Deo templa ædificabantur, & diuitias illas eis, & precioſa veſtimenta & theſauros rex Ioſaphat repoſuit, de execrabili & ſuperflua illa materia opus faciens bonum & vtile. De templis verò illis ac delubris, in quibus prius conuerſabantur ſordidi dæmones, perſecutione atrociſsima pellebantur, & miſeriam quæ eis ſuperuenerat, in multorum audientia vociferando flebant. Et liberata eſt tota regio illa à teterrima ſeductione eorum, luceque fulgebat immaculatæ fidei Chriſtianorum.

Legant hæc hæretici, qui templorum cultui tantopere aduerſantur, & reſipiſcant quandoque ab erroribus ſuis.

Igitur & rex bonum omnibus ſe præbebat exemplum, & multos ad ſimilem inflammabat intentionem, & accendebat. Qualibus enim poteſtas conformatur, talibus ſemper ſubiectus ſibi populus inhiat, & ambit illa, in quibus principem gaudere ſentit. Hinc

Deo cooperante, pietas creſcebat in eis, & cõfortabatur, quoniam rex in mandatis Chriſti & ipſius dilectione perfectus erat, diſpenſatorq́; & gubernator animarum, ad portum Dei eas perducendo. Sciebat enim ante omnia, hoc regis opus eſſe, vt homines doceat Deum timere, & iuſtitiam ſeruare: quod & faciebat, ſemetipſum regendo, & voluptates corporis domando, ſubiectosq́; ſuos admonendo, ſicut gubernator optimus ſolerter æquitatis tenens gubernacula. Hæc enim veri regis diffinitio eſt, voluptates regere & tenere: quod ille faciebat. De parentũ quippe nobilitate & regali gloria quæ inerat ei, nullo modo extollebatur, ſciens quod luteũ habemus generis noſtri primum parentem, & de ipſius maſſa ſumus diuites et pauperes. In profundo verò humilitatis mentem ſemper deprimebat, et futuræ beatitudinis memor, aduenam quidem ſeipſum hic reputabat. Illa aũt agnoſcebat propria eſſe, quę adepturus foret, poſtquã de hac vita migraret. Quoniam verò bene iſta diſpoſuerat, & omnes qui ſub illius erant ditione, ab antiquo liberatos errore paternarum traditionum, fecerat ſeruos illius qui redemit nos de maligna ſeruitute precioſo ſanguine ſuo, meditatur ſecundum opus.

Regis officiũ.

pus,miſericordię virtutem. Pudicitiam nempe & iuſtitiam iam prius adeptus fuerat, & diademate pudicitię coronatus,& purpura iuſtitiæ coopertus. Perpendebat denique terrenarum diuitiarum inſtabilitatem,fluminalium aquarum imitari curſum. Quapropter ibi ſtuduit eas reponere, vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures nõ effodiunt,nec furantur. Et cœpit omnes pecunias pauperibus diſtribuerẽ, nullo modo parcens eis. Sciebat enim, quod magnam poteſtatem aſſumens, datorem potentiæ ſecundum virtutem debet imitari.

In hoc autem maximè Deum imitabatur,quòd nihil æſtimabat miſericordia precioſius. Super aurum ergo & lapidem precioſum, miſericordiæ diuitias ſibimetipſi aggregabat. Et hic lætabatur ſpe futuræ quietis, & ibi iucundabatur experientia ſeparatæ beatitudinis. Hinc perſcrutabantur ab eo carceres, & qui in metallis erant concluſi,& qui à creditoribus erant ſuffocati, & omnibus omnia largiter miniſtrabat. Pater erat omnium orphanorum & viduarum, & egenorum pater amabilis & benignus, ſibimetipſi putans beneficium impendere, cum aliorũ miſereretur. Nam diues erat mune-

neribus, & verè regalis animi. Omnibus dabat liberaliter indigentibus, multiplices ſperans pro his recompenſationes in tempore operum retributionis.

Vbiq; autem huiuſmodi illius fama in breui crebreſcente, vniuerſi ad eum quaſi quodam odore vnguenti tracti, per ſingulos dies confluebant, & per ora omnium volitabat. Nam timor & coactio minime trahebat populum, ſed deſiderium, et ad Chriſtum ex corde vera dilectio, quæ ex Deo & eius pulcherrima conuerſatione animis omnium erat inſita. Tunc & illi qui patri eius erant ſubditi, ei potius adhærebant, cunctumq; errorem abijcientes, veritatem euangelizabant. Et domus quidem Ioſaphat creſcebat, & confortabatur: domus autem Auennir minuebatur, & infirmabatur, quemadmodum de Dauid & Saul, regnorum narrat hiſtoria.

Rex Auennir iam melior, mentem accipit in Chriſtianos benignam, filium vocat, qui, Deo fuſa prece propitiato, patri verbum ſalutis proponens, vnius Dei fidem accuratè declarat.

CAPVT XXXIIII.

Iſta rex Auennir conſiderans, & vix atq; ſerò in ſenſum rediens, ſuorũ recognouit falſorum infirmitatem deorum,

rum,& vanam ſeductionem: & iterum primos conſilij conuocans, in lucem profert à ſe meditata. Omnibus aũt eadem confirmantibus (viſitauerat enim eos oriens ex alto, ſalutaris exaudita oratione famuli ſui Ioſaphat) viſum eſt regi, filio manifeſta facere. Scribit igitur ſequenti die epiſtolam Ioſaphat, continentem hunc modum.

Rex Auennir dilectiſsimo filio Ioſaphat bene valere. Cogitationes plurimę fili chariſsime, meã ſubintrantes animã, crudeliter cõturbant. Nam noſtra omnia cernens deficientia, quemadmodũ fumus deficit, quæ verò ſunt ſectæ Chriſtianorũ ſuper ſolẽ reſplendentia, ſenſi vera eſſe quæ mihi ſemper à te dicebantur. Et quia tenebræ nos peccatorũ profundæ & impietatis operuerũt, vt hinc neq; ad veritatem reſpicere, nec vniuerſorũ autorem valeremus recognoſcere, ſed & lucem ſic ſplendidam per te nobis oſtenſam, oculos claudẽtes videre noluimus. Multa tibi quidẽ mala oſtẽdimus, infeliciterq́; (heu) & Chriſtianorum non paucos occidimus, qui cooperante ſibi inexpugnabili virtute roborati, per mortem aduerſus noſtrã crudelitatem dimicauerunt. Nunc aũt craſſam illam nebulã de noſtris auferẽtem oculis, lucem quandam, licet modi

cam

cam, veritatis cernimus, et priorum nobis pœnitẽtia ſubintrat malorum. Sed & hanc lucem nubes alia malæ deſpetionis interpollans, obtenebrare tentat, multitudinem opponens meorum malorum, & quòd abominabilis ego ſum Chriſto & non ſuſcipiendus, ſicut apoſtata & hoſtis illius factus. Quid igitur ad iſta dulciſsime fili, dicas, ipſe mihi manifeſtum citius facito: & quid oporteat me facere, tuum patrem edoce, & ad noticiam rei quæ expedit, me pertrahe.

Ante Dominicam imaginem in faciem corruit, & lachrymis terram rigans, gratias egit Domino, Nota ergo quod procumbere coram imagine Christi ad rogandum eum, vel ad gratias illi agendas, opus bonum eſt & pium.

Hanc epiſtolã Ioſaphat ſuſcipiens et quæ in ea continebantur legendo pertranſiens, gaudio ſimul & admiratione replebatur. Moxque ingreſſus in ſuum cubiculum, ante Dominicam imaginem in faciem corruit, & lachrymis terram rigans, gratias egit Domino: ſimul & cõfitens, & labia exultationis mouens, hymnum dixit.

Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Magnus es Domine, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Et, Quis loquetur potentias tuas, qui conuertiſti petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum? Ecce enim rupes iſta & petra, duriſsimum cor videlicet patris mei, te volente

lente quaſi cæra effectum eſt molle. Nam & poſsibile eſt tibi de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahę. Gratias ago tibi Domine, amator hominum, Deus miſericordiæ, quòd libenter ſuſtinuiſti, et patienter ſuſtines exceſſus noſtros, et hactenus nos impunitos dimiſiſti. Nos enim eramus olim digni proijci à facie tua, & exemplum fieri in populo tuo, ſicut Pentapolim habitantes facinoroſi fuerunt, quos igne & ſulphure cōbuſsiſti: ſed immenſa tua patientia miſericorditer effuſa eſt ſuper nos. Gratias ago tibi humilis ego & indignus: etſi non ſum ſufficiens ad glorificandam bonitatem tuam, deprecor inæſtimabiles tuas miſerationes Domine Ieſu Chriſte, fili & ſermo inuiſibilis patris, qui omnia verbo deducis, et volūtate cōtines. Qui poſitus ſuper lignum ligaſti fortem, & ſub illo ligatis ęternam dediſti libertatem, ipſe nunc extende manū tuam inuiſibilem & omniū operatricem, & perfectè libera ſeruum patrem meum, de ſeua illa captiuitate diabòli, & oſtende ei efficaciſsimè, quia tu es qui ſemper viuis Deus verus, & rex ſolus æternus & immortalis. Vide contritionem cordis mei propicio & miſericordi oculo, & ſecundum veram propitiationem tuam adeſto mihi cognoſcenti & confitenti

te factorem & prouiſorem totius creaturæ. Influe in me tuam ſalientem aquam, & detur mihi ſermo in adpertione oris mei, & ſenſus bene fundatus in te, ſummo angulari lapide, vt valeam inutilis famulus tuus annunciare meo genitori, ſicut oportet, myſterium diſpenſationis tuæ, & ſeparare eum tua virtute ab errore vano malignorum dæmonum, & ad te adducere Deum & Dominum, qui non vis mortem noſtram, ſed expectas conuerſionem & pœnitentiam, qui es glorioſus in ſecula ſeculorum: Amen.

Sic orauit & certitudinē accipiens cōſequendi à Deo quod deſiderabat, & in miſericordia Dei confiſus, tollēs ſe inde, cū regali officio ad regnū patris ſui venire feſtinauit. Vt autem patri nunciatus eſt aduentus filij, egreditur cōfeſtim obuiam illi, circumplectitur, oſculatur, maximum facit gaudium, & celebrem feſtiuitatem peragit in aduētu eius. Quid plura? Poſt hæc pariter conſident. Et quis dicet quę diſſeruit patri filius, & cum quanta philoſophia? Sed quę alia niſi quę ſibi à ſancto ſpiritu fuerant adminiſtrata, per quē piſcati ſunt Chriſto totum mundū piſcatores, & illiterati ſapientibus ſapientiores oſtenſi ſunt? Huius gratia et ipſe locutus eſt pa

tri,

tri,illuminans eum lumine ſciẽtiæ. Etenim prius multum laborauit,vt traheret eum à ſuperſtitioſo errore, quid nõ dicens, quid non faciens vt abduceret eum, ſed inaniter canticum pſallebat, quod in aure minimè audientis dicebat. Quando autem reſpexit Dominus ad humilitatem ſerui ſui Ioſaphat, & deprecationem eius exaudiuit,clauſam ianuam cordis patris ſui mox arripuit. Voluntatem enim (inquit) timentium ſe faciet,& deprecationem eorum exaudiet:facilè quæ dicebantur à filio rex intellexit. Itaque Ioſaphat Dei gratia opportuno tempore, quo inſurgere deberet aduerſus victoriam malignorum ſpirituum,qui dominati prius fuerant animæ patris ſui,& de illorum perfectè errore liberare eum, ſalutare verò apertè notificare verbum, & in cœlis viuenti Deo reconciliari.

A principio enim ſermonem repetens,annunciauit ei quæ neſciebat magna & mirabilia,& auribus cordis non audierat. Multa quidem de Deo locutus eſt,& fidei pietatem oſtendit, quia nõ eſt alius Deus in cœlo ſurſum,neque in terra deorſum, niſi vnus Deus pater & filius & ſpiritus ſanctus. Plurima illi etiam myſteria nota fecit theologiæ, & de viſibili atque inuiſibili

cre-

creatura, quomodo ex nihilo creauit, & ſecundum imaginem & ſimilitudinem ſuam formauit hominem, & hunc libero arbitrio donans, in paradiſo poſuit, & omnium bonorum participare licentiam dedit, abſtinere verò ab vno ſolo precipiens, quod erat dinoſcens boni et mali. Preuaricantem verò mandatum, de paradiſo expulit. Vnde de familiaritate quam obtinebat apud Deum, elapſum genus humanum in multos decidit errores, ſeruiens peccatis, & ſubditum morti per tyrannidem diaboli, qui ſubditos ſemel homines accipiens, ex toto obliuiſci fecit Deum & Dominum & ſibi ſeruire perſuaſit idolorum execrabilem cultum.

Miſericordia igitur ductus, qui nos formauit Deus ex voluntate patris, & cooperatione Spiritus ſancti, complacuit de ſancta Maria virgine apud nos naſci, & paſsibilis & mortuus eſt immortalis. Qui tertia die reſurgens, nos liberauit à mortuis, prioriq́ue honore & ſublimi gloria dignos effecit. Nam ſubleuauit nos ſecum in cœlum, aſcendens vnde deſcenderat. Quem et iterum venturum credimus vt plaſma ſuum reſuſcitet, redditurumq́ue vnicuique ſecundum opera ſua: hoc eſt, electos cœlorũ regnum ſuſcepturos & ineffabilia bona:

na: malos verò æterna habituros tormẽ ta, id eſt ignem inextinguibilem, tenebras exteriores, immortalem vermem, & quantacunq; alia ſibi theſaurizauerunt ſupplicia, ſeruiendo peccatis. Hæc omnia verbis plurimis & abundè ſibi ineſſe ſpiritus ſancti gratiam teſtificantibus, pertranſiens, deinde et inueſtigabile benignitatis Dei enarrans pelagus & quomodo paratus eſt ſemper ad ſuſcipiendam pœnitentiam ad ſe conuertentium: & quod non eſt peccatum vincens eius pietatis viſcera, ſi tantum voluerimus pœnitentiam agere. Et multis hoc exemplis & ſcripturarum confirmans teſtimonijs, ſermoni impoſuit finem.

Compunctus animo rex idolis bellum indicit, atque euerſis delubris oratoria Christo ibi ædificat, ſed quatuor annorum decurſo per pœnitentiam ſpatio ex humanis, præſente filio, ac ad meliorem ſpem patris animum erigente, diſceßit, atque inter ſanctos ſepelitur, filio ſeptem diebus multis precibus parentante, ac iuſta exoluente.

CAPVT XXXV.

COmpũctus itaq; rex in hac à Deo docta ſapiẽtia, voce magna flagrátiſsimo animo ſaluatorem Christũ cõfitetur,

fitetur, ab omni dæmoniorum errore diſcedens ſignumq́; viuificæ crucis adorat ſub aſpectu omnium. Et in cunctorum audientia Deum prædicat eſſe verum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, prioremq́; ſuam confitetur impietatem, & propriam aduerſus Chriſtianos crudelitatem, & homicidia arguit: magnaq́; portio ad pietatem efficitur, vt in eo quod dictum eſt à Paulo, opere completum eſſe videatur: Vbi abundauit iniquitas, ibi abundauit & gratia. Multa igitur ſapiētiſsimo Ioſaphat his qui conuenerant magiſtratibus et ſatrapis, & omni populo de Deo & de pietate eius fidei perorante, & quaſi ignita lingua nouum canticum cantante, cum ſpiritus ſancti gratia ſuperueniens, omnes excitat ad glorificationem Dei, quaſi ex vna voce turbis clamantibus. Magnus Deus Chriſtianorum. Non eſt alius deus præter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum patre et ſpiritu ſancto glorificandum.

Rex Auennir ſub aſpectu omnium Crucis ſignum adorat.

Zelo itaque diuino ſuccenſus rex Auennir, inſurgit fortiter aduerſus idola, quæ erant in palatio ſuo ex auro & argento facta, in pauimentum ea proiecit. Deinde perminutè diuidens, egenis diſtribuens, proficuum ſibi de inutilibus fecit. Poſtea cum filio idolorū tem

pla

templa & delubra omnino, inſtanter vſque ad ipſa ſubruit fundamenta. Sacra autem Deo oratoria, in loca ipſorũ ædificat. Non ſolum autem in ciuitate, ſed etiam in vniuerſa regione miro ſtudio eadem perficiunt. Maligni verò ſpiritus qui habitabant in delubris, eiulantes pellebantur, & inexpugnabilem eſſe Dei noſtri virtutem trementes confitebantur. Omnis autem in circuitu regio, & vicinarum gentium multitudines, ad piam fidem Chriſti currebant. Tunc ſuprà iam dicto Epiſcopo veniente catechizatur rex Auennir, & diuino perfruitur baptiſmate, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, & Ioſaphat eum de diuino fonte ſuſcepit, & carnali genitori ſpiritualis regenerationis autor effectus eſt. Nam cœleſtis patris filius erat, & fructus veræ diuinę radicis ſanctiſsimus, radice illa clamante: Ego ſum vitis, vos palmites.

Sacra Deo oratoria ædificata.

Ita renatus rex per aquam & ſpiritum ſanctum, lætabatur gaudio ineffabili. Cum quo & tota ciuitas & in circuitu regio vniuerſa, diuinum meruit baptiſma accipere, & filij lucis effecti ſunt qui prius erant tenebræ. Cunctus autem languor, & omnis dæmoniaca calamitas procul à credentibus pulſa eſt, perfecti autem & ſani omnes animabus

Eccleſiæ reædificabantur, Epiſcopi pulſi ſuas recipiebant ſedes, Sacerdotes et Monachi ad paſcendum Chriſti gregem ordinabantur, Quæ quàm diu fieri non vides, non eſt receptæ Chriſtianæ fidei ſignum.

& corporibus erant. Et plurima alia miracula, ad confirmationem fidei peracta ſunt. Eccleſiæ reædificabantur, & epiſcopi qui abſconſi erant propter timorem, exibant, & ſuas recipiebant eccleſias, & alij de ſacerdotibus & monachis ordinabantur ad paſcendum gregem Chriſti. Rex quidem Auennir, ita priore illa infelici conuerſatione derelicta, & pœnitentiam agens de his quæ fecerat, totum quidem regalem principatum filio tradidit. Ipſe autem apud ſeipſum ſolitariam vitam ducens, *pulueremque* ſemper capiti aſpergens, graues gemitus emittebat. Lachrymis ſemetipſum abluẽdo, ſolus ſoli vbiq; præſenti colloquebatur, indulgentiam ab eo ſuarum poſtulans culparum. In tantam vero compunctionis & humilitatis abyſſum ſemetipſum depoſuit, vt non auderet nomen Dei ſuis nominare labijs, & vix hoc filij exhortatione præſumeret.

Ecce qualem Rex egit Pœnitentiã, et quomodo ſatisfactionis operibus priora peccata compenſauit, Non ergo ſatis fuit ei noua vita, vt docent Pſeudo apoſtoli noſtri.

Igitur bona mutatione mutatus, ad virtutem ſe deducentem perrexit viam, vt ſupergrederetur pietate priorũ iniquitatum ignominiam, Per quatuor verò annos ita viuens in pœnitentia & lachrymis et omni virtute, in ægritudinẽ decidit, de qua & mortuus eſt. Quãdo & finis eius appropinquauit, cœpit timere

&

& tędere, ſedulò in memoriā reducens mala quæ fecerat. Ioſaphat autē verbis conſolatorijs alleuiabat triſtitiā & formidinē quę ſibi contigerat, dicens: Quare triſtis es pater, & quare temetipſum conturbas? Spera in Deo, & confitere ei, quę eſt ſpes omnium finium terrę, et in mari lōgè, ſicut ſcriptum eſt per Prophetam dicentem: Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere. Et ſi fuerit peccata veſtra ſicut phœnicium, quaſi nix dealbabuntur: ſi verò vt coccinum, ſicut lanam dealbabo. Noli ergo pater timere, noli dubitare. Non vincunt enim peccata conuertentium ſe ad Deum, inæſtimabilem illius bonitatem. Ipſa quippe ſub menſura ſunt & numero, quantacunque ſint: illa verò immenſa eſt, etiam innumerabilis. Non enim poteſt quod ſubiacet numero, vniuerſum ſuperare

Talibus conſolatorijs verbis incantans ipſius animam, bonæ ſpei effecit. Deinde extendens pater manus, gratias agens, bona etiam precabatur illi, & diem benedicebat in qua natus ipſe fuit, dicens: Fili dulciſsime, non meus, ſed cœleſtis patris, quam retribuam tibi gratiam, qualibus te benedicam bene

dictionibus? Quam verò gratiarum actionem referam Deo pro te? Perditus enim eram, & inuentus ſum per te. Mortuus eram peccatis, & reuixi. Inimicus Dei, & apoſtata fui, & reconciliatus ſum. Quid ergo retribuam tibi pro his omnibus? Deus eſt, qui dignas reddat tibi retributiones. Sic locutus eſt, & frequenter dilectum oſculabatur filium. Deinde orauit, dicens: In manus tuas benigniſsime Deus commendo ſpiritum meum: & ita in pœnitentia Domino animam reddidit.

Ioſaphat exequias dignas patri exhibuit, collocans corpus eius in monumento inter viros ſanctos, & pœnitentiæ cilicio texit.

Tunc filius eius Ioſaphat lachrymis honorans patrem mortuum, & exequias dignas illi exhibens, poſuit corpus eius in monumento inter viros ſanctos, & non tamen operuit veſtimento regali, ſed pœnitentiæ texit cilicio. Stans autem ſuper monumentum, manibus in cœlum eleuatis, & flumina lachrymarum ex oculis deducens, orauit ad Dominum, dicens:

Deus gratias ago tibi rex gloriæ, ſolus potens & immortalis, quia non deſpexiſti deprecationem meam, lachrymas meas non ſpreuiſti: quoniam complacuit tibi vt iſtum ſeruum tuum patrem meum conuerteres ab iniquitatibus, & ad teipſum traheres ſaluatorem vniuerſorum, ſeparanſque à ſuperſtitione

ne idolorum, dignum feciſti vt cognoſceret te verum Deum & amatorem hominum. Et nunc Domine Deus, inueſtigabilis & immenſæ bonitatis, colloca eum in loco refrigerij, & in loco quietis, vbi lux ſplendet vultus tui, & ne memineris iniquitatum illius antiquarũ, & ſecundum magnam miſericordiam tuam dele chirographum peccatorum ſuorum, & chartam illius ſcinde criminum, & ſanctos tuos pacifica ei, quos igne & gladio interemit, & præcipe illis ne contra eum iram teneant. Omnia poſsibilia tibi ſunt omnium Domino, niſi hoc ſolum, miſereri eorum qui non conuertuntur ad te, hoc eſt tibi impoſsibile. Nam miſecordia tua effuſa eſt ſuper omnes, & ſaluas inuocantes te Domine Ieſu Chriſte, quia decet te omnis gloria in ſecula: Amen.

Vide ſanctũ virũ orationẽ fundere pro anima patris ſui defuncti: Iuuantur ergo orationibus viuorum, mortuorum animæ.

Tales orationes & deprecationes obtulit Domino in totis ſeptem diebus, nullo modo à monumento ſurgens, immemor penitus cibi ac potus, nec quietis ſomnique particeps, ſed lachrymis pauimentum rigabat, gemitibusq; inenarrabilibus orando, Deum pulſabat. Octaua autem die ad palatium regreſſus, cunctas diuitias & pecunias indigentibus diſtribuit, ita vt nullus iam relinqueretur inopiã patientium. In paucis

Tu qui dicis anniuerſaria mortuorũ, tricenaria & ſeptenaria orandi pro Defunctis, eſſe cupidorũ Sacerdotum, inuenta, nota hic obſeruari à ſanctiſsimo viro ſeptem dies in fundendis precibus pro patre mortuo.

cis ergo diebus huiuſmodi perficiens miniſterium, & omnes theſauros euacuans, quatenus per anguſtam intraturum portam, non impediret pondus pecuniarum.

Lapſis à patris morte quadraginta diebus, coacto omni populo, abrogatū ſibi ſua ſpōte imperium, in Barachiā transfert Ioſaphat, ac curuatis genibus cū lachrimis Dominū precatus, plangente & vlulāte præ animi dolore populo, omnibus valedicit, atque ingens ſui deſiderium relinquens, in ſolitudinem concedit.

CAPVT XXXVI.

QVadraginta dies obitus patris ſui memoriā ei perficiens, cōuocat omnes principes & militari pręcinctos baltheo, & vrbani populi non paucos, ſedensq́; pro tribunali, ait in audientia omniū: Ecce ſicut videtis, rex Auennir, pater meus, quaſi vnus de pauperibus mortuus eſt, neq; diuitię, neque regalis gloria, neq; ego dilectus filius illius, neq; aliquis de cæteris amicis ſuis & cognatis adiuuare illum preualuerunt, vt ineuitabilem ſententiam præteriret, ſed abijt ad illa iuſta iudicia, rationem redditurus cōuerſationis preſentis vitę, nullum de omnibus ducens ſecū adiutorem, niſi tantū quę egit opera qualiacunque

Ecce & Quadrageſimū ſeruatū diē in memoriam obitus patris.

cunque ſint. Idipſum aut & de omnibus humanæ ſortis naturã contingere cõſtat, nec aliter. Nunc ergo audite me amici mei & fratres, populus Domini, & hæreditas ſancta, quos redemit Chriſtus precioſo ſanguine ſuo, & de antiquo errore & ſeruitute aduerſarij eruit. Ipſi noſtis inter vos conuerſationem meam, quomodo ex quo Chriſtum cognoui, & ſeruus eius eſſe merui, omnia habens odio, ipſum concupiui ſolum, & iſtud mihi erat deſiderabile, vt à ſtrepitu vitę & vana conturbatione ſubtrahendo me, ſolus ſibi vacarem, & in ſilentio & quiete animi ſeruirem Domino Deo. Sed impediuit me patris mei obſtinatio, & mandatum, honorari præcipiens genitorem. Vnde Dei gratia & cooperatione, non fruſtra laboraui, nec in vanum tales dies expendi. Nam illum Chriſto reconciliaui. & omnes vos hunc ſolum cognoſcere verum Deum, & dominum omnium docui. Non autem hæc ego feci, ſed gratia Dei mecum quæ & me de ſuperſtitioſo errore liberauit, & de ſeruitute idolorum eripuit, & vos populum meum de ſæua captiuitate liberauit. Iam ergo tempus eſt, vt de cetero compleam quæ promiſi Deo opera. Tempus eſt eundi quò ipſe deducet me, & reddam vota mea quę

uoui ei. Nunc ergo vos conſiderate, quemcunque velitis præeſſe vobis, & regnare. Iam enim perfecti eſtis in voluntate Domini, & nihil vos latet præceptorum eius. In iſtis ambulate, non declinantes ad dexteram vel ad ſiniſtram, & deus pacis erit vobiſcum.

Hæc vt audiuit populus ille, & virorum congregatio, tumultus ilico & planctus & vox maxima & confuſio fit, flentibus omnibus & lamentantibus ſuam deſolationem. Talia lamentantes, & cum lamentationibus, etiam ſacramentis obteſtabantur, ſe non eum dimiſſuros aliquatenus, ſed comprehenſuros, & diſcedere penitus non conceſſuros. Ita vociferante populo & principibus omnibus, rex turbam ſedare volens, ſilentio imperato, eorum ſe obedire promiſit obſtinationi. Contriſtatos tamen & triſtitiæ ſigna in vultu ferentes, domum remiſit. Ipſe autem vnum de principibus, qui erat ei charus præ omnibus, & propter fidei pietatem & pudicitiam vitæ admirandus, Barachiam nomine, quem & ſuperius ſermo demonſtrauit, quando Nachor Barlaam ſimulans cum philoſophis diſputauit, qui ſolus paratus fuit ſecum aſtare, & decertare aduerſus illos, zelo diuino ſuccenſus in corde; ſingulariter aſ
ſumens

ſumeas, leniter alloquebatur, & dulciter flagitabat, vt regnum ſuſciperet, & cum timore dei, populum illius regeret, quatenus ipſe deſideratam à ſe viam pergeret.

Vt autem illum negantem vidit, & omnino reſpuentem, & dicentem, ô rex quàm iuſtum iudicium tuum, quamq; non ſecundum mandatum tuus eſt ſermo. Si enim diligere proximum ſicut teipſum edoctus es, qua ratione onus quod ipſe deponere feſtinas, mihi conaris imponere. Nam ſi bonum eſt regnare, ipſum quod bonum eſt tene: ſi autem iſtud eſt animæ ſcandalum atque offendiculum, cur mihi imponis illud, & vis ſupplantare? Poſtquam ergo talia dicentem, & aſſerentem vidit, à colloquio ceſſauit. Et ecce intempeſta nocte, epiſtolam quidem ad populum ſcripſit, multa refertam philoſophia, & omnem pietatem pronunciantem, quomodo deberent in Domino gloriari, & qualem vitam ei offerre, qualesq; hymnos, & quas gratiarum actiones. Deinde non alium quàm Barachiam præcepit in regalem principatum eis aſſumere. Et in ſuo cubiculo chartam, in qua epiſtola erat ſcripta, derelinquens, clam omnibus de palatio egreditur. Sed penitus latêre non potuit. Nam ſummo di-

luculo hoc auditum eſt, & turbationem repentinam & luctum populis exhibuit. Qui celeritate multa ad inquiſitionem eius egrediuntur, præripere fugã ei omni modo ſatagentes. Vnde nec in vanum ceſsit eis ſtudium. Vt enim omnes preoccupauerunt vias, cũctosq́; montes circundederunt, & inuias circuierunt valles, in torrente quodã hunc inuenerunt, manus in cœlum extenſas habentem, & orationem ſextę celebrantem horæ.

Ioſaphat extentione manuũ orationem ſextæ celebrabat horæ.

Videntes autem eum, perfuſi ſunt lachrymis, rogantes, & diſceſsionem improperãntes. Ille autem ait: Cur fruſtra laboratis? Non enim vltra me regem habere valetis. Plurima verò illorum conſtrictus inſtantia, reuertitur ad palatium. Et congregatis omnibus, ſuũ declarauit conſilium. Deinde & iuramento confirmat ſermonem, quod nec vnam cum ipſis diem de reliquo facturus eſſet. Ego enim miniſterium meum in vobis impleui, & nihil dimiſi neq; ſubterfugi vtilium quin annunciarẽ vobis & docerem, teſtificans omnibus fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & pœnitentię viam oſtendẽs. Et nunc ecce ego pergo viam, quã ex longo iam tempore deſideraui, & amplius nõ videbitis faciem meam vos omnes. Propter quod teſtificor

ſtificor vobis hodie ſecundum diuinum Apoſtolum, quòd ego mundus ſum à ſanguine omnium veſtrûm. Nõ enim ſubterfugi, quin annunciarem vobis omne conſilium Dei.

Hæc audientes, & intentionis eius firmitatem ſcientes, quoniam à propoſito ſuo non valerent eum prohibere, mœrebant quidem deſolationem ſuã, non poterant autem omnino ipſi ſuadere. Tunc rex Barachiam illum quem & ſuperior ſermo demonſtrauit apprehendens, dixit: Fratres, hunc vobis ordino regem. Illo verò fortiter aduerſus negocium repugnante, inuitum atq; nolentem in regali principatu conſtituit, diadema capiti eius impoſuit, annulumque regalem miſit in manu eius, & ſtãs contra orientem, orationem pro eo fudit ad Dominnm, inconuertibilẽ ſibi in Deum fidem ſeruari, & indeclinabilem ſecundum mandata Chriſti inueniri viam. Orauit etiam & pro omni grege & hæreditate, petijtque auxilium à Domino eis & ſalutem, & omne quodcunque eis expediret ad vtilitatem diſpenſandam.

Ita oratione facta, conuerſus dixit Barachiæ: Ecce tibi frater mando, ſicut aliquando Apoſtolus teſtificatus eſt, Attende tibi & omni gregi in quo te ſpi-

ritus ſanctus poſuit regem ad regendū populum Domini, quem acquiſiuit ſanguine ſuo. Et ſicut ante me cognouiſti Deum, & ſeruiſti ei munda conſcientia, ſic & modò ampliori ſtudio placere ſatage illi. Nam quanto maiorem à Domino adeptus es principatum, tāto potioris exactionis debitor exiſtis. Et ideo retribue benefactori debitum gratiarum actionis, ſancta illius cuſtodiendo mandata, & ab omni declinando via quæ ducit ad perditionem. Si enim in nauigantibus quandoquidē nauta fallit, modicam remigibus infert læſionē: quando vero gubernator, totius efficit nauis perditionem: ſic & in regibus. Si quis principum deliquit, non tantum populo quantum ſibimetipſi nocet. Si verò rex ipſe, omnis operatur conuerſationis detrimentum. Et ideo maximas ſuſtinebis pœnas, ſi quid vtilium ſpreueris. Quapropter cū multa diligentia cuſtodi teipſum in bono, cunctā excſam habendo voluntatem ad peccatum te trahentem. Ait enim Apoſtolus: Pacem
Heb.12. ſectamini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit deum.

Cyclum attende humanarum rerum, quomodo currrit, contrarioque modo & vano fert ipſas & circumfert. Et in iſtarum veloci permutatione, immutabilem

bibem ſerua piam cogitationem. Nam variari rerũ mutatione, mentis inconſtantis indicium eſt. Tu autem fixus eſto in bono, & omnino ſtabilis. Ne ex tollaris propter temporalem gloriam inani tumore, ſed expiata cogitatione ignobilitatẽ tuæ naturæ conſidera, breuitatemq́ue & incertitudinem iſtius vitæ, & carni mortem copulatam. Et iſta cogitans, in ſuperbiæ non decides foueam: ſed timebis Deum verum, & cœleſtem regem, & verè beatus eris. Beati enim (inquit) omnes qui timent Dominum, & qui ambulant in vijs eius. Et, Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Quæ verò ante omnia debes ſeruare mãdata? Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et, Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt celeſtis. Hoc enim mandatum ante omnia debent ſeruare, qui in maiore ſunt principatu locati. *Pſal. 108.* *Luc. 6.*

Et certè maximam poteſtatem accipiens, datorem poteſtatis iuxta poſsibilitatem debet imitari. In hoc autem Deum maximè imitabitur, ſi nihil iudicauerit quàm miſereri precioſius. Sed & obedientem nihil ita ad amicitiam Dei pertrahit, ſicut beneficentiæ gratia indigentibus exhibita. Nam propter timo-

rem facta eleemoſyna, adulationi eſt cõparanda, ficto honoris nomine ſibi attendentes decipiens, & non ſponte ſubditum reſilire facit, temporis occaſione reperta. Vinculis verò amicitię aſtrictus firmam habet ad id quod tenetur affectionem. Idcirco beneficus eſto indigentibus, & aperi aures pauperibus, vt inuenias auditum Dei tibi reſeratum. Quales enim noſtris cõſeruis erimus, talem circa nos inueniemus Dominum. Et ſicut audierimus, audiri merebimur. Et ſicut videbimus, videbimur à diuino & omnia cernente oculo. Inferamus igitur miſericordiæ miſericordiam, vt pro ſimili ſimilem accipiamus.

Sed & aliud audi mandatum conſimile primo: Dimittite, & dimittetur vobis. Et, Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, neque pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Quapropter malitiæ memoriam non retinebis aduerſus peccantes, ſed veniam poſtulans delictorum tuorum, indulge & ipſe in te peccantibus: quoniam remiſſione recompenſatur remiſsio: & aduerſus conſeruos noſtros reconciliatio, Dominicæ iræ fit ſedatio. Et rurſus duritia noſtra erga peccantes, irremiſsibilia nobis facit noſtra peccamina, ſicut audis quid milium paſſus eſt debitor talentorum

lentorum erga proximum immiſericordia, ſibimet ad actũ reuocans huiuſmodi debitum. Propter quod diligenter nobis conſiderandum eſt, ne nos ſimilia patiamur, ſed dimittamus omne debitum, & omnẽ iram ex corde eijciamus vt & nobis dimittantur noſtra delicta. In omnibus autem & ante omnia bonum cuſtodi depoſitum, piam videlicet fidei rationem quam didiciſti, & omnis zizaniæ hæreſis non pullulet in vobis, ſed mundum & ſine dolo ſemen conſerua diuinum, vt multiplicem fructum Domino conſignes, quando venerit rationem ponere cum vnoquoque noſtrûm, & reddere vnicuique iuxta opera ſua: quando iuſti quidem fulgebũt ſicut ſol, peccatores verò tenebræ operient & æterna confuſio. Et nunc fratres commendo vos Deo, qui vos poteſt ædificare, & dare vobis hæreditatem in ſanctificatis omnibus. *Matt. 18.*

Et hęc dicens, poſitis genibus ſuis, cũ lachrymis rurſus orauit. Et cõuerſus oſculatus eſt Barachiam quẽ regem ordinauerat, & omnes principes. Tunc iam funduntur lachrymæ veraciter ex corde. Circunſtantes enim eum vniuerſi, quaſi animæ illorum ex illius pendêrent anima, & ſine illo nullo modo viuere poſſent, quid non compaſsione di- *Poſitis genibus rurſus orauit cũ lachrymis.*

gnum

num dixerunt? Qualem lamentationis excellentiam dereliquerunt? Oſculabantur, & amplexabantur: reuerentiæ obliuionem, doloris paſsio fecerat. Væ nobis, clamabant, ab hac infelicitate atrociſsima. Deinde illum vocabant patrem, ſaluatorem, benefactorem. Per te (inquiunt) Deum cognouimus, ab errore liberati ſumus, & ab omnibus malis requiem inuenimus. Quid ergo erit nobis poſt tuum diſceſſum? Quæ nos mala non apprehendent? Talia dicẽtes, pectora percutiebant, & quæ comprehenderant eos deflebant infortunia. Ille autẽ in ſermonibus conſolationis plurimos gemitus illorum compeſcuit, cũ eis ſe ſpiritu futurũ promittens, quod corpore iam eſſet impoſsibile. Talia dicens, omnibus videntibus egreditur de palatio. Cum quo mox omnes exierũt, promittentes ſe ad ciuitatem non reuerſuros, nec etiam oculis eam amplius ſe viſuros. Vt autem extra ciuitatem facti ſunt (quia ſermone blando ab illo nolebant diſcedere) increpatione auulſi ſunt, & inuiti reuertebantur, frequenter eis conuertentibus oculos, & in itinere pedibus offendentibus, quidam autem feruentiores, mœrentes à longe ſequebantur eum, quouſque nox ſuperueniens ſeparauit eos ab inuicem.

Ioſaphat per ſolitudinem oberrans, ſola per viam oblata herba, vitam difficulter ſuſtentabat. Erat verò illi continuus ferè conflictus cum generis humani aduerſario, qui varijs technis irretire illum conabatur, ſed Chriſti miles crucis ſigno obarmatus, omnia illius machinamenta diſſoluit.

CAPVT XXXVII.

EGrediebatur ergo de regno ſuo fortis ille iuuenis, gaudens velut quādo de lōgo exilio in ſuam aliquis reuertens patriam lætus ambulat, & erat indutus extrinſecus quidem conſuetis veſtibus, intrinſecus verò laneo panno quem Barlaam ſibi dederat. Nocte itaq; illa in domunculam cuiuſdā pauperis hoſpitatus, veſtimentis ſuis exutus, ea pauperi tradidit, vltimam eleemoſynā iſtam perficiens. Et ſic tam illius quàm aliorum multorum pauperum orationibus procuratorem ſui Domini acquirens, & ipſius gratiā & auxilium quaſi veſtimentum ſalutis & indumentū lætitiæ ſibimet circumponens, ad eremiticam egreſſus eſt vitam, non panem ſecum deferens, non aquam, non aliquid aliud ad cibum pertinens, non veſtimento indutus alio, niſi duro illo pāno tantum, cuius paulò antè memoriam fecimus. Deſiderio enim quodam incredibili

dibili, & amore diuino vulneratus animo immortalis regis Chriſti omnino deſiderati, erat extra ſe factus, totus eius liquefactus amore. Fortis enim (inquit) vt mors dilectio. Huiuſmodi ipſe à diuina charitate ſuſceperat ebrietatem, ita exarſerat ſiti ſecundum prophetam dicentem: Quemadmodum deſiderat ſeruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus fontem viuũ. Et quemadmodum vulnerata tali dilectione anima clamat in Canticis cãticorum: Vulnerata charitate ego ſum Et alibi: Oſtende mihi faciem tuam, & fac me audire vocem tuam. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Pſal.41.

Cant.2.

Huius ineffabilis pulchritudinis Chriſti amorẽ velut ignem in corde ſuſcipiens, apoſtolorum chorus & martyrum populi, omnia ſpernebant quę vidẽtur, omnem ſcilicet vitam temporalem. Mille tormentorũ ſpecies ſubibant amantes diuinam pulchritudinem, & circa nos Dei verbi cogitantes dilectionem. Hunc ignem & bonus iſte, nobilis quidem corpore, nobilior verò & regalior anima, in ſeipſo ſuſcipiẽs, omnia ſimul terrena deſpiciebat, omneſque conculcabat corporis voluptates. Spernebat diuitias & gloriam, & ab hominibus honorem. Deponebat diadema & purpuram,

ram,aranearum tela fragiliora iſta cogi tans. Ad omnia verò laborioſa & triſtia eremiticæ vitę, promptum ſemetipſum exibuit,clamans: Adhæſit Chriſte,adhę ſit anima mea poſt te,me ſuſcepit dextera tua. Et ita inconuertibiliter ingreſſus eſt vaſtitatem eremi, & quaſi onere quodam & graui catena depoſita rerum temporalium confuſione, lætabatur ſpiritu: & deſideratū intuens Chriſtum,clamabat ad eum quaſi præſentem, & vocem audientem,dicens: *Pſal.62.*

Bona mundi huius Domine ne videat oculus meus,neque eleuetur amodo mens mea præſenti vanitate, ſed imple oculos meos lachrymis ſpiritualibus:dirige greſſus meos,&oſtende mihi famulum tuum Barlaam,oſtende mihi eum, qui mihi ſalutis, tua gratia, autor factus eſt, vt eremiticæ vitę huius per ipſius diligentiam addiſcam exercitium, ne pugnandi imperitia ab inimico ſupplanter. Da mihi Domine viam inuenire per quam veniam ad te,quia vulnerata eſt anima mea amore tuo, & te ſitio fontem vitæ & ſalutis.

Hęc voluebat penes ſemetipſum ſemper, & Deo dicebat, per orationem ei &contemplationem altiſsimā iunctus, & ita impenſius iter ſuum peragebat, ad chorum ſanctorum peruenire ſatagens

gens vbi Barlaam degebat. Edebat verò herbas, quæ per eremum naſcebantur. Nihil enim aliud deferebat ſecũ (vt dictum eſt) niſi ſolũ corpus ſuum, & pannum quo coopertus erat. Sed & cibum quidem mediocrem & paruum de herbis ſumebat. Aquæ verò omnino penuriam patiebatur, inaquoſa & arida exiſtente eremo illa. Itaque iam circa meridiem ſole ardente vehementer iter agendo, vehementius ipſe æſtuabat ſiti, æſtu perſeuerante, & vltima affligebatur miſeria. Sed vincebat deſiderium naturam, & ſitis qua deum ſitiebat, flãmam rorabat ſitis aquæ.

Vide ſancti viri paupertatẽ & abſtinentiam.

Inuidus verò & oſor hominum diabolus, non ſufferens in iuuene tale cernere propoſitum, & ſic feruentiſsimã in Deo dilectionem, plurimas ei per eremũ excitauit tentationes, ſubmittens ei memoriam regalis gloriæ ſuæ, & dudum aſsiſtentium ei ſplendidiſsimi obſequij amicorum & cognatorum atque coætaneorum: & quia cunctorum animæ ex ipſius perficiebantur anima, & alia vitę refrigeria. Deinde aſperitatem conuerſationis proponebat ei, & plurimos illius ſudores, corporisq́; infirmitatem, & in conſuetudinẽ eius in tali miſeria, & temporis longitudinem, præſentisq́; ſitis neceſsitatem, & nuſquam ſperandam

dam conſolationem tanti laboris, vel finem. Et omnino multum excitauit ei puluerem cogitationum in mente, quẽadmodum ſcriptum eſt de magno Antonio.

Vt autem vidit ſemetipſum inimicus debilem aduerſus illius propoſitum (Chriſtum enim ipſum cogitans, & illius deſiderio accenſus, ſpeq́ue bona cõfortatus, & fide ſtabilitus, pro nihilo illius ſubmiſsiones reputabat) erubuit. Tunc à prima congreſsione decidẽs, alteram pergit viam. Multę enim malitię eius ſemitæ, & phantaſmatibus varijs & inanibus eũ euertere tentabat, & in formidinẽ mittere. Aliquando verò gladium acutum tenens, inſiliuit ſuper eũ, & percutere minabatur, niſi retro ſtatim conuerteretur. Alia vice beſtiarum diuerſarum formas aſſumebat, frendens aduerſus eum, dirifsimum edens mugitum & ſonitum. Deinde & in draconem & aſpidem & baſiliſcum tranſformabatur.

Bonus verò ille & fortiſsimus athleta, intrepidus erat animo, ceu qui altiſſimum ſibimetipſi refugium poſuerat. Mente verò vigilans, & malignum ſubſanans, dicebat: Non latet me ô ſeductor quis ſis, qui iſta mihi excitas, qui & ab initio contra genus hominum ta-

lia

lia es fabricatus,& ſemper malignus es, et lędere nunquam ceſſas, et aptum tibi habitũ & familiariſsimũ aſſumis : hoc eſt, beſtias & ſerpentes imitaris, beſtialitatem conſilij tui ac prauitatem, venenumq́; & læſionem intentionis tuæ demonſtrans. Cur ergo ad impoſsibilia conaris miſerrime? Ex quo enim agnoui tuæ eſſe nequitiæ machinamẽta iſta & terrores, mihi nulla de te cura fuit.

Pſal. 90. Dominus mihi adiutor eſt, & ego deſpiciam inimicos meos. Et, Super aſpidem & baſiliſcũ ambulabo, quibus & ſimilem te feciſti, te conculcabo & leonem & draconem, virtute Chriſti confortatus. Confundantur & reuereantur omnes inimici mei, auertantur, & erubeſcant valde velociter.

Signum Crucis arma inexpugnabilia. Hæc dicens, & ſignum crucis ſibimet imprimens arma inexpugnabilia, omnia diaboli phantaſmata abſentauit. Tunc enim beſtiæ ac ſerpentes ſicut deficit fumus defecerunt, & ſicut liqueſcit cera à facie ignis, ſic perierunt. Ipſe verò Chriſti virtute munitus, ambulabat gaudens, & gratias agens Domino. Sed & beſtiæ plurimæ & variæ, & ſerpentium atque drcaonum diuerſa genera, quæ eremus illa nutrit obuiantia illi, non iam phantaſticè, ſed in veritate apparuerunt. Quocirca timore

more quidem erat plena via, & labore. Ipſe vero vtraque ſpernebat animo, timorem quidem dilectione (vt ait ſcriptura) foras mittente, laborem verò amore alleuiante. Ita ergo multis ac varijs incommodis & miſerijs fatigatus diebus non modicis, tandem peruenit ad eremum illā Sennaariticę terrę, in qua Barlaam habitabat: vbi & aquam inueniens, flammam ſitis extinxit.

Iam biennio hic atque illic quæritando conſumpto, Monachi cuiuſdam indicio Barlaam inuenit. Ruunt in oſcula, atque feruentiſſimas coniungunt preces, hinc accumbunt menſæ vili oluſculo & dactylis paucis inſtructæ, atque ad eum modum permultos annos vnà vitam agebant.

CAPVT XXXVIII.

MAnſit autem Ioſaphat duobus annis integris per eremi illius vaſtitatem vagabundus, & nō inueniebat Barlaam, Deo & in hoc fortitudinē animi eius & cogitationis ſtabilitatē probante. Et erat ita ſub dio ſole exuſtus per diem, & frigore per noctem congelatus & inceſſanter quærens velut aliquem theſaurum precioſum, venerandum ſenem. Plurimas verò ſuſtinuit tentationes, & pugnas malorum ſpirituum, & multos labores, herbarum indigentia, quibus

quibus in cibum vtebatur, quia & iſtas, cum ſicca eſſet eremus, rariſsimas ferebat. Sed amore Domini inflammata adamantina anima illa & inuicta, facilius ſuſtinebat triſtitia iſta quàm voluptates: ideoq́ue ſuperno non fuit priuatus adiutorio, ſed ſecundum multitudinem dolorum ipſius & laborum, à deſiderato Chriſto fiebant conſolationes, nocte lætificantes animam. Completis ergo duobus annis, Ioſaphat quidem, inceſſanter circuibat quærens deſideratum, & rogabat Deum, lachrymarum flumina effundens, & clamabat: Oſtende mihi Domine, oſtende mihi viatorem tuæ cognitionis, & tantorum autorem bonorum, & ne propter multitudinem peccatorum meorum bono tuo priues me, ſed dignum me fac videre illum, & æqualem ei agonem conuerſationis ponere.

Inuenit autem Dei gratia ſpeluncam, veſtigia ſequens illuc ambulantium & monachorum quendam, reperit eremiticam vitam tranſigentem. Et hunc flagrantiſsimè amplexatus & oſculatus, rogabat ab illo ſibi oſtendi Barlaam habitaculum, & de ſeipſo cuncta viro illi manifeſta fecit. Per ipſum itaque didicit habitationem illius quem quærebat. Peruenitq́; celerrimè, velut quando venator

nator gnarus veſtigia incurrit venationis: & habens alia ſigna ab illo ſene ſibi demonſtrata, ambulabat gaudens, & ſpe robuſtus, ſicut paruulus ex longo tempore patrem cupiens videre. Quando enim amor qui ſecundum Deum eſt, in anima deſtillat, naturali multo eſt feruentior atque fortior.

Stetit igitur ante oſtium ſpeluncæ, & pulſans, Benedic pater, ait: benedic. Vt autem vocem audiuit, exijt Barlaam de ſpelunca. Cognouerat enim per ſpiritum quem ſecundum exteriorem aſpectum perfectè cognoſcere non valebat, propter mirabilem illam tranſfigurationem & immutationem, qua immutatus & transfiguratus erat ab aſpectu illo priore, & decora ac florida iuuẽtute. Nam denigratus erat ab ardore ſolis, comatusque crinibus, exeſam habens faciem, & oculos in profundũ habens demerſos, & cilia exuſta habens riuis lachrymarũ, & multa inopiæ afflictione. Sed Ioſaphat ſpiritualẽ cognouit patrem, characterem vultus ſeruantem eundem. Stans ergo mox contra orientem ſenex, orauit, gratias agendo Deo. Et poſt orationem dicto, Amen, apprehendentes ſe & oſculantes, feruentiſsimis alterutrum amplexibus conſtringebant, & præ interno amore ſa-

tiari non poterant.

Vt autem ſufficiēter ſe viderunt, oſculati ſunt inuicem, & proprijs nominibus ſe ſalutauerunt, ſedentesq́ue colloquebantur, ſermonem autem incipiens Barlaam, Bene veniſti, dicebat, fili Dei, & hæres cœleſtis regni. per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem dilexiſti, quem meritò deſideraſti, ſuper omnia temporalia & corruptibilia. Et ſicut prudens negociator et ſapiens, omnibus venditis precioſiſsimam emiſti margaritam: & theſauro abſcondito in agro reperto mandatorum Domini, omnia dediſti, nulli parcens prætereuntium, vt agrum illum eméres tibimetipſi. Donet tibi Dominus pro temporalibus æterna, pro corruptibilibus incorruptibilia, & non veteraſcentia.

Matt.13.

Dic ergo mihi fili dilectiſsime, quomodo huc veniſti, & quomodo poſt meum diſceſſum factū eſt de te, et ſi cognouit Deum pater tuus, aut ſi & hucvſque in prima perſeuerans inſipientia, ac dæmonū ſeductione captiuatur? Hæc Barlaam interrogante, Ioſaphat referre cœpit quanta poſt illius abſceſſum facta ſunt ei, & quomodo Dominus omnia in proſperitatem vertit, vſq; ad præſentem eorundem coniunctionem

nem. Senex autem audiens iſta cum delectatione & miraculo, præ gaudio lachrymatus, dicebat: Gloria tibi Deus noſter, qui ſemper ades & auxiliaris diligentibus te. Gloria tibi Chriſte rex vniuerſorũ, & Deus benigniſsime, quia complacuit tibi ſemen quod in anima ſeminaui ſerui tui Ioſaphat, ſic centeſimum referre fructum, dignum quidẽ te agricola, & domino noſtrarum animarum. Gloria tibi paraclete bone, ſanctiſsime ſpiritus, quia quam dediſti gratiam ſanctis tuis apoſtolis, huius participem dignum fieri feciſti ſeruum tuũ, & innumeras hominum multitudines à ſuperſtitioſo per ipſum errore liberaſti, & vera illuminaſti Dei noticia.

Sic ſic ab ambobus Deo gratię referũtur: & talia colloquentibus & Dei exultãtibus gratia ſuperuenit veſpera. Tũc ad orationẽ ſurgentes, conſuetũ celebrarunt officium. Deinde cœnaturis ponit menſam Barlaam locupletem, ſpiritualibus plenam epulis, ſenſualis verò nequaquam participẽ conſolationis. Olera enim fuerunt cruda, quorũ ſenex ipſe operator & cultor fuit, & dactyli pauci, qui in ipſa eremo inueniebantur, & ſylueſtres herbæ. Gratias igitur agẽtes, & appoſita edentes, & aquam de fonte qui aderat bibentes, aperienti manum

Ecce & Barlaam abſtinentia et ciborum delectus.

& implenti omne animal, denuo gratias egerunt. Rurſus autem ſurgentes, & nocturnas complentes otationes, ſpirituale poſt orationem repetunt colloquium: ſermones videlicet ſalutis, & cœleſti plenos philoſophia, per totam ſecum conferentes noctem, donec eos manè ſolitarum iterum recordari orationum fecit.

Vigiliæ & nocturnæ orationes, ac ſpiritualia colloquia ex more veterum Monachorum.

Manſit autem Ioſaphat cum Barlaam ſic plurimis annis, mirabilem illam & ſuper hominem tranſigens conuerſationem, & quaſi patri huic eruditori per omnia obediens & conſentiens, omniq́ue ſubiectione & humilitate ſe illi ſubijciens, & ad omnem virtutis ſpeciem ſemetipſum exercens, optimeq́ue inſtructus ad luctandum cõtra iniquiſſimos ſpiritus. Hinc quidem paſsiones cunctas mortificat, prudentiam verò carnis ſubiecit ſpiritui quaſi ſeruum Domino, deliciarum & requietionis penitus oblitus. Somno verò quaſi malo præcipiebat Domino. Et vt ſimpliciter dicam, tantus inerat ei labor conuerſationis, vt & ipſe miraretur, qui plurimos in hac expenderat annos Barlaam, & perſeueranti illius vinceretur inſtantia. Nam tantum de illo duro & inconſolabili cibo percipiebat, vt ſolum poſſet viuere, ne ſi violenter moreretur,

Vide hæretice ſanctorum Monachorum antiquorum quã arduum inſtitutum, & amplius ne dicito hoc non faciebant aliqui Monachi.

retur, mercedes amitteret bonarum operationum. Sic autem ad vigilandum naturam ſubdidit, quaſi incorporeus aliquis & ſine carne. Orationis etiam illi & intellectualis operis inceſſabile opus erat, & omne vitæ tempus in contemplationibus expendebat ſpiritualibus & cœleſtibus, vt nec horā nec punctum ipſe perderet omnino, ex quo in illa eremo habitauit. Hoc enim opus verè monaſtici ordinis eſt, nunquam ociosum inueniri à ſpirituali operatione. Quod bene obſeruauit ille fortis & cō gruentiſsimus curſor ſtadij cœleſtis itineris, & inextinguibilem calorem ipſius cuſtodiuit: à principio vſq; in finem aſcenſiones ſemper in corde diſponens, & de virtute in altiorem aſcendens virtutem, deſiderium deſiderio, ſtudium ſtudio aſsiduè iungens, donec peruenit ad ſperatam & deſideratam beatitudinem.

Sic autem inuicē conuerſantibus Barlaam & Ioſaphat, & bona coniunctione vnitis, & extra ſolicitudinem & vniuerſam ſecularem exiſtentibus perturbationem, purificatamq; mentem poſſidentibus, & expiatam ab omni confuſione, poſt multos ſuos pro pietate labores, quadam die aduocauit ſenex ſpiritualem filium, quem per euangelium

genuit, & tunc ſermonem arripuit & ſpirituale colloquium, ita dicens: Dilectiſsime Ioſaphat, in hac te eremo habitare oportebat. Et hoc mihi Chriſtus oranti de te promiſit, ante vitæ meæ obitum videndum. Vidi ergo ſicut deſiderabam. Video enim te modò à mundo abſtractum, & ab his quæ in mundo ſunt: coniunctum verò Chriſto inſeparabili mente, & in menſuram veniſſe perfectionis plenitudinis ipſius. Nunc autem, quoniam iam mihi reſolutionis tempus in ianuis eſt, & ſociale & coætaneum deſiderium eſſe cum Chriſto iam completum eſt: tu quidem corpus meum terra operi, & puluerem tra de pulueri. Mane verò de cætero in hoc loco, ſpirituali adhærens conuerſationi, & meæ memoriam faciens humilitatis. Timeo enim, ne fortè obſcura dæmonum multitudo animæ meæ obſiſtat, propter multitudinem ignorantiarum mearum.

Tu ergo fili ne metuas laborem conuerſationis, neque formides longitudinem temporis, & verſutias dæmonum: ſed horum quidem infirmitatem Chriſti virtute munitus, audacter deride. Aduerſus verò duritiam laboris, & temporis ſpacium ſic eris, quaſi quotidie hinc migrationem expectans, & quaſi

initium

inſtium eſſe tibi conuerſationis hanc diem & finem exiſtimans. Sic ſemper ea quæ retrò ſunt obliuiſcens, & ad ea quæ antè ſunt te extendens, ſecundum intentionem perſequere ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quemadmodum ſanctus Apoſtolus iubet, non deficiamus, dicens: Sed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt, renouatur de die in diem Nam momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quę non videntur. Quę enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna. 1. Cor. 4.

Iſta cogitans chariſsime, confortare, & eſto robuſtus, & quaſi bonus miles contende regi tuo placere. Et ſi cogitationes tibi puſillanimitatis malignus immiſerit, & rigorē relaxare propoſiti ſtuduerit, ne acquieſcas eius verſutijs, Dominicū conſiderans præceptum: In mundo tribulationē habebitis: ſed confidite, quia ego vici mundū. Ideoq; gaude in Domino ſemper, quia elegit te, & ſeparauit de mundo, & poſuit ante faciem ſuam. Ipſe autem qui te vocauit vocatione ſua ſancta, adeſt tibi ſemper,

nihil ſolicitus ſis, ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones tuæ apud Deum innoteſcant. Ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam. Sic ergo in duritia conuerſationis & puſillanimitate exercitij tales poſsidens cogitationes, lætare, memor Domini Dei noſtri. Memor enim (inquit) fui Dei, & delectatus ſum.

Quando autem rurſus alium deceptionis modum econtrario callidè perquiret hoſtis, elatas ſupponens cogitationes, & gloriam multam regni quod dimiſiſti, & cætera quæ in mundo ſunt, ſalutarem appone ſermonem quaſi ſcu-

Lucæ, 17. tum, dicentē: Cum feceritis omnia quę præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus. Sed quis ex nobis valet debitum perſoluere, quod debemus Domino, pro eo quòd cùm diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, vt nos illius paupertate ditaremur, & paſſus eſt impaſsibilis, vt à paſsionibus nos liberaret? Quæ enim eſt gratia ſeruo, ſimilia Domino pati? Nobis enim plura deſunt de paſſionibus eius Hæc meditare cogitationes emundans, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei & in captiuitatem ducentem, redige o-

mnem ſenſum in obedientiam Chriſti. Et pax Dei quæ ſuperat omnẽ ſenſum, cuſtodiat cor tuum, & intelligentias tu as, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

His à beato Barlaam dictis, riui lachrymarum Ioſaphat menſuram non habebant, ſed velut de fonte multifluo ſcaturientes, eum totum ac terrã in qua ſedebat rigabant. Deflens autem ſeparationem, vehementer rogabat, vt comes eius itineris moriendo fieret, & ne poſt ſe relinqueret illum in hac vita, dicens: Cur quę tua ſunt tantum pater quęris, & non ea quæ proximi ſunt? Quomodo verò perfectam in hoc imples charitatem ſecundum eum qui dicit, Diliges proximum tuum ſicut teipſum? *Deut. 8.* Ad requiem quidem ipſe pergens, in tribulatione ac miſeria me derelinquis: & priuſquam bene exercitatus ſum laboribus conuerſationis, & hoſtium didicerim multimodas congreſsiones, ad monomachiam me ipſorũ exponis, & quid fiet aliud, niſi vt proſternar multimodis illorum machinamentis, & moriar in anima (heu mihi) & æterna morte, quod inexpertis & formidoloſis contingere conſtat pugnatoribus. Sed deprecare Dominum, quæſo te, vt comitem me de hoc ſeculo tecum aſſumas: etiam per ipſam ſpem quam habes reci

piendi laboris præmium deprecare, ne vel vnam diem poſt tuum diſceſſum faciam in hac vita, & in vaſtitate huius deſerti oberrem.

Hæc Ioſaphat cum lachrymis dicente, ſenex leniter & planè reſpondit, dicens: Non debemus fili incomprehẽſibilibus iudicijs Dei reſiſtere. Ego enim plurimum de hoc deprecatus ſum Dominum, ne ſepararemur ab inuicem: & edoctus ſum à bonitate illius, quia non eſt congruum te nunc pondus deponere carnis, ſed permanere oportet in exercitio, donec ſplendidiorem coronam tibimet componas. Non enim ſufficienter adhuc decertaſti, ad eam quæ tibi præparata eſt mercedis retributionem: ſed oportet te hic modicum laborare, vt lætus intres in gaudium Domini tui. Ego enim ferè centum ſum annorum. In hac verò eremo annos ſeptuaginta quinque peregi. Tibi autem licet non tantum tempus ſit conſtitutum, ſed tamen appropinquare oportet, ſicut iubet Dominus: vt cum ſimilis oſtẽdaris mihi, & nihil minus habens ab eis qui portauerunt põdus diei & æſtus. Suſcipe ergò chariſsime libenter quæ à Deo decreta ſunt: nam ea quę ipſe diſpoſuit, quis hominum ſufficit mutare? Vnde in his perſeuera, eius cuſtoditus

Non ſufficienter decertaſti ad eam quæ tibi præparata eſt mercedis retributionem.

ſtoditus gratia.

Vigila autem ſemper aduerſus contrarias cogitationes, & mundiciam mentis quaſi quendam theſaurum precioſum conſerua, ad altiorem operationem & cõtemplacionem vegetans temetipſum quotidie, vt impleatur in te quod amicis ſuis Saluator promiſit, dicens: Si quis diligit me, ſermones meos ſeruabit. Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hæc dicens ſenex, & multo plura, ſanctiſsima illius anima & theologa lingua digna, contriſtatam Ioſaphat animã conſolatus eſt. Deinde ad quoſdã tranſmittit eum fratres procul habitãtes, vt afferret ei quæ ad ſacram hoſtiam conſecrandam erãt neceſſaria. Tunc confortatus Ioſaphat valde, velociter miniſterium impleuit. Metuebat enim, ne fortè ſe abſente naturæ debitum Barlaam ſolueret & ſpiritũ Domino traderet, detrimentumq; ſibi diriſsimum inferret, non verba teſtatoria, non orationes, non benedictiones illius adepto. *Ioan.14.*

Ita ergo viriliter ab illo longa via peracta, & allatis pro quibus ierat, offert Deo ſacrificium ſanctiſsimus Barlaam. Et cõmunicans ipſe, tradidit & Ioſaphat incontaminata Chriſti myſteria

Ecce dico Miſſam ſacrificiū & ſacram Eucharistiā, incontaminata Chriſti Myſteria.

&exaltauit ſpiritu. Deinde conſuetum percipientes cibum, ædificatorijs verbis animam rurſus Ioſaphat alebat, dicens: Non iam nos dilectiſsime fili in vnum congregat eſus & menſa in hac vita: ingredior enim iam vniuerſalem viam patrum meorum. Oportet ergo te erga me dilectionem per cuſtodiam mandatorum Dei, & in hoc loco vſque in finem perſeuerantiam oſtendere, conuerſans (quemadmodum didiciſti & edoctus es, memor ſemper humilis & negligentis animæ meæ. Gaudio igitur gaude, & in Chriſto exultatione lætare: quia pro terrenis & corruptilibus accipio æterna & incorruptibilia, & quia appropinquat merces operum tuorum, & mercedis retributor iam adeſt, qui venit vineam inuiſere quam coluiſti, & plenius tibi mercedem operis tui exhibebit. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, ſicut ſanctus clamat apoſtolus Paulus: Nam ſi cōmorimur, & conuiuemus. Si ſuſtinēmus, & conregnabimus in regno æterno & infinito, luce ſplendentes inacceſsibili, & ſplendore digni effecti beatæ & indiuiſæ Trinitatis. Talia quidem Barlaam vſque ad veſperam, & per totam noctem Ioſaphat loquebatur ineffabili dolore detento, & ſeparationem non ferenti. Mox verò

Nota hæretice quoties iteretur mercedis nomen? Additur etiam, retributor mercedis merces operis tui.

1. Timo. 1.

rò illuceſcente die, ad eum collocutionem finiens, eleuatis in cœlum manibus & oculis, & gratiarum actionem referens Deo, ait:

Domine Deus meus, qui vbique pręſens es & omnia imples, gratias ago tibi, quia reſpexiſti humilitatem meam, & in orthodoxa confeſsione, & in via mandatorum tuorum dignum me feciſti curſum conſummare huius incolatus mei. Et nunc optime Domine & miſericordiſsime, ſuſcipe me in æterna tua tabernacula, & ne recorderis peccata, quæ tibi peccaui ſcienter & ignoranter. Cuſtodi etiam & hunc fidelem famulum tuū, cui pręeſſe me voluiſti indignum famulum tuum. Erue eum ab omni vanitate & tētatione aduerſarij & altiorem illum facito perplexis laqueis, quos in laqueum poſuit malignus omnibus qui ſalui fieri volunt. Diſperde omnipotens omnem virtutem ſeductoris à facie ſerui tui, & da ei poteſtatem conculcandi nequiſsimum caput hoſtis animarum noſtrarum. Mitte ex alto gratiā ſancti ſpiritus tui, & corrobora illum aduerſus inuiſibiles hoſtes, vt victorię mereatur à te coronam accipere, & magnificetur nomen tuum in ipſo: quia te decet gloria, & laus in ſecula: Amen.

Finita oratione, paterno affectu am plexatus Ioſaphat, oſculatus eſt eum in oſculo ſancto, ſignoq́ue crucis ſemet ipſum ſignans, & pedibus extenſis, exhilarato vultu quieuit in pace, ſenex & plenus dierum.

Ioſaphat cum pſalmis & lachrymis ſanctum Barlaam ſepelit, deinde cum vitæ ſanctimonia ipſos fere angelos adæquaret, tandem viuendi finem fecit, atque a viro quodam ſancto ipſi Barlaam eidem illatus tumulo coniungitur. Rex autem Indorum Barachias luminis ſirios cum luminibus multis ad regnum ſuum transfert, plurimaq́ue circa ſanctos eduntur miracula.

CAPVT XL.

cce quomodo ſaphat ſuper rpus defuni decantabat ſalmos, et per tam diem ac ctem pſallet. Qui Chrianus mos

TVnc Ioſaphat corruens ſuper eũ, fletibus atque ſuſpirijs, gemitibuſq́ue dolori ſatisfaciens, & lachrymis corpus abluens, ac laneo panno quem dederat ei in palatio inuoluens, decantabat pſalmos, per totam diem & totam noctem pſallens, pariter & lachrymis venerandum beati madefaciẽs corpus. Sequenti verò die ſepulchrum faciens prope ſpeluncam, & religioſe valde & cum ſumma reuerentia ſacram glebam deferens, in monumento depoſuit ſpiritualem patrem, bonus ac venerabilis filius, & flagranti animo ad intentiſsimã

exten-

extendens ſe orationem, ait: Dñe Deus meus, exaudi orationem meam qua clamaui ad te, miſerere mei & exaudi me: quoniam te ex toto corde meo quæro. Exquiſiuit te facies mea: ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantiũ me: quoniã in te proiectus ſum ex vtero de ventre matris meę. Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me, quoniã pręter te nõ eſt qui adiuuet me. Ecce enim in multitudine miſerationũ tuarũ ſpẽ poſui animæ meę. guberna vitam meam, qui omnem creaturam ineffabili ſapientiæ prouidentia regis. Et notam fac mihi viam in qua ambulem, & ſaluum me fac, quoniam bonus es amator hominum, orationibus & intercesſione famuli tui Barlaam. Quia tu es Deus meus, & te glorifico patrem & filium & ſpiritum ſanctum: Amen.

Orationibus & intercesſione famuli tui Barlaam, Ergo Sãcti poſt mortẽ, orant & intercedunt pro nobis.

Finita oratione, iuxta ſepulchrũ ſedebat flens, & ſedens obdormiuit. Et vidit terribiles viros illos, quos & prius viderat

viderat venientes ad ſe, & deducentes in maximum illum & mirabilem campum, deinde ad glorioſiſsimã & ſplendiſsimam introduxerunt ciuitatem. Ingrediente verò illo, alij obuiabant multo fulgentes lumine, coronas in manibus ferentes ineffabili decore reſplendentes, & quales humani oculi nunquã viderunt. Interrogante verò Ioſaphat, cuius ſunt coronæ gloriæ ſplendidiſsimę quas cerno? reſponderunt: Tibi quidem vna propter multas animas quas ſaluaſti præparata eſt, exornanda verò nunc amplius pro exercitatione eremitica quã peragis, ſi tamen viriliter in hac in finem vſque perduraueris. Altera verò tua quidẽ & ipſa, ſed patri tuo oportet te exhibere eam, qui per te à via mala declinando, & pœnitentiam veraciter agendo, reconciliatus eſt Domino.

Ioſaphat itaque hoc audito, hæſitanter & mœſtè hoc accepit, & dixit: Quo modo poſsibile eſt, non impar mihi qui tanta ſuſtinui, patrem meum adipiſci donum propter ſolam pœnitentiam, et Barlaam confeſtim æſtimabat ſe videre quaſi exprobrantem ſibi, & dicentem: Iſti ſunt ſermones mei Ioſaphat, quos aliquando dicebam tibi, & quia cũ præ diues fueris, non beneficus eras, & ipſe hæſitabas in verbo. Nunc autem quomodo

modo contriſtatus es de æquali honore tibi videlicet & patri, & non potius læ tatus es animo, quòd exaudita eſt tua multa pro ipſo oratio? Ioſaphat autem prout mos erat ei ſemper dicere. Ignoſce ait, pater ignoſce, & vbi habitas oſtẽde mihi. In hac (inquit) ſenex ſpecioſa & magna ciuitate habitationem habere merui, in media vrbis platea luce fulgentem eximia. Rogare verò iterum Ioſaphat Barlaam ſe putabat, vt eum induceret in habitaculum, & affectuosè in hoſpitio ſuo reciperet. Sed nondum tempus veniſſe dicebat ille, quo ad illa peruenire poſſet habitacula, adhuc humano ſubiectum corporis ergaſtulo. Si ergo viriliter perſeueraueris (quemadmodũ mandaui tibi) venies paulo poſt, & eiſdem dignus efficieris manſionibus, & eandem gloriam conſequêris, & eodem gaudio frueris, & in æternum ſimul erimus. Excitatus verò à ſomno Ioſaphat, luce illa & ineffabili gloria habebat animam adhuc ſatiatam, & cum multa admiratione Domino gratiarum referebat hymnum.

Manſit autem vſq; ad finem vitę ſuæ, angelicam veraciter in terra ducens conuerſationem, & duriore exercitatione poſt tranſitum ſenis vtens. Aetatis quidem ſuæ vicęſimo quinto anno terrenũ

deſeruit

deſeruit regnũ, & eremiticum ſubijt laborem, triginta verò & quinq; annis in hac eremo cõuerſatus eſt. Multas prius animas hominum diabolo ſurripuit, & Deo ſaluandas obtulit, & in hoc perficiendo apoſtolicam gratiam promeruit. Erat autem martyr voluntate. Nam cum fiducia magna Chriſtum in cõſpectu regum & tyrannorum cõfeſſus eſt, & prædicator eius magnitudinis eximius claruit. Multos etiam ſpiritus nequitiæ in eremo luctando proſtrauit, & omnes Chriſti ſuperauit virtute, cœleſtiſq; particeps muneris diutius extitit & gratię. Inſuper & mundum animæ oculum ab omni terrena caligine habuit, & valde præſentia, futura contemplabatur, & Chriſtus erat ei pro omnibus: Chriſtum deſiderabat, Chriſtum quaſi præſentem cernebat, Chriſti decorem aſsiduè ſpeculabatur, ſecundum prophetam dicentem: Prouidebam Dominum
Pſalm.15. in conſpectu meo ſemper, quoniã à dex-
Pſal.26. tris eſt mihi ne commouear. Et iterum: Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Adhęſit enim verè anima illius poſt Chriſtum, coniunctione indiſſolubili illa copulata. Non enim defecit à mirabili iſta operatione, nec immutauit rigorem conuerſationis ſuę à principio vſq; in finem, æqualem ſeruans

nans promptitatem à puero vſq; ad tantam ætatem: imò ad altiorem indies profecit virtutem & mundiorem promeruit contemplationem.

Denique tali peracta conuerſatione, & ita dignam ſua vocatione operationẽ retribuens ei qui ſe vocauit, crucifigens mundum ſibi & ſeipſum mundo, in pace ad Deum pacis vadit, & ad eum quem deſiderauit ſemper proficiſcitur Dominum, & vultui Domini nitidè & mundè præſentatur, illiusque gloriæ iam antè promiſſa ſibi corona exornatur, & Chriſtum cernere dignus efficitur, & cum Chriſto eſſe meretur, Chriſti decore ſemper exultat. Cuius in manus animam ſuam commendans, in viuentium tranſmigrauit regionem, vbi ſonus epulantium, vbi lætantium omnium habitatio.

Precioſum verò corpus illius quidã vir ſanctus, qui habitationem non procul ab eo fecerat, qui ad Barlaã iter illi prius oſtenderat, diuina quadã edoctus reuelatione, ipſa hora eius dormitionis aduenit, & ſacris laudibus honorificãs illum, lachrymasq; effundens, ſignum erga illũ dilectionis, et omnia alia perficiens, quæ Chriſtianis ſunt legitima, in ſepulchro patris Barlaam poſuit eum. Nam decebat eorum ſimul eſſe corpo-

ra in terra, quorum in cœlis perenniter erant animæ iunctæ. Præcepto etiam eius terribili per viſionem fortiter illum in mente conteſtantis, acquieſcens eremita qui eum ſepelierat, ad regnum Indorum pergere contendit, & ad regem Barachiam peruenit, omniaq́; ſibi manifeſta de beato Ioſaphat facit. Ille autem non negligens, ilico pergit cum multitudine magna & virtute, & ad ſpeluncam peruenit. Monumētum aſpicit, & ſuperlachrymatus tollit operculum, & videt Barlaam, & Ioſaphat, habentes membra ſecundum proprietatē ſpeciei vtriuſque poſita, & corpora nil à priore colore immutata, ſincera verò & omnino integra cum ſuis indumentis. Tunc illa ſanctarum animarum tabernacula multam odoris ſuauitatem emittebant nihil penitus fœditatis retinentia. Quę rex in thecis ſpecioſis repoſita, in ſuam reportauit patriam.

Vide hæretice, quod ſanctorū corpora habitaculum fuere Spiritus ſancti, & ideo nō fœtorem ſed odoris ſuauitatem exhalant, quæ Rex Barachias thecis precioſis repoſita, in ſuam reportat patriam.

Vt autem ad aures peruenit populi quod factū fuerat, multitudo innumerabilis ex omnibus ciuitatibus & in circuitu regionibus ad adoranda & videnda beatorum illorum virorum corpora confluebant honorificè, cum hymnis et canticis, & lampadibus ac cæreis ardentibus. Vnde quidam ibi congruenter ſatis & valde idoneè dixit: Luminaria cir

ca lu

caluminis filios & hæredes. Splendidè verò ſimul & magnificè in eccleſia, quá Ioſaphat ab ipſis fundamētis erexerat, depoſita ſunt corpora. Plurima ergo miracula & ſanitates in tranſlatione & depoſitione, & deinceps per ſanctos ſuos famulos operatus eſt Chriſtus, ad laudem & gloriam nominis ſui. Et vidit rex & omnis turba, virtutes quę per eos fiebant. Et plurimæ gentes quæ erant in circuitu, infidelitate languentes & Dei ignorantia, per ea quæ ad ſepulchrum fiebant ſigna crediderunt. Et omnes videntes & audientes angelicam Ioſaphat conuerſationem, & à pueritia inæſtimabilem eius ad Deum amorem, mirabantur, glorificantes in omnibus Deum, qui cooperatur indulgentibus ſe, & in maximis illos glorificat donis & virtutibus.

Ecce cū quanto honore ſuſcipiuntur ſanctorum corpora, ſimul & cum hymnis & canticis & lampadibus & cereis ardentibus.

Huc vſque finis præſentis laboris, quē ſecundum virtutem meam ſcripſi, ſicut accepi à venerabilibus viris, qui veraciter illum tradiderunt mihi. Contingat igitur vobis legentibus & audientibus vtilem animarū narrationem, vt in parte ſanctorum qui ab initio placuerunt Domino cōputari mereamur, precibus, & interceſsione Barlaā & Ioſaphat beatorū, de quibus eſt narratio, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui eſt decus, honor,

Plurima Sanctorum miracula in tranſlatione & depoſitione eorum, nec non ad illorum ſepulcra patrata, ad confuſionem hæreticorum.

Precibus et Interceſsione Barlaam & Ioſaphat beatorũ.

nor, & imperium, gloria & magnificentia, cum patre & ſpiritu ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum: Amen.

Conuerſus ad te Deum patrem Dominum omnipotentem, puro corde tibi quantum poteſt paruitas mea, maximas atque vberes gratias ago, deprecãs toto animo ſingularem tuam manſuetudinem, vt preces meas in beneplacito tuo exaudire digneris: inimicum quoq; à meis actibus & cogitationibus tua virtute expelle, multiplica mihi fidem, mentem guberna, ſpiritales cogitationes accende, & ad beatitudinem tuam perducere dignare, per Ieſum Chriſtum filium tuum: Amen.

FINIS.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI LIBELLVS, IN QVO CONFERT EVM, QVI IN VERISſima ac Chriſtiana Philoſophia vitam degit monaſticam, cum ſummo quoque mundi huius principe, Germano Brixio Altiſsiodorenſi interprete.

EGO quum intuear ex hominibus complures quæ bona eſſe videntur, ea maiori & amore, & admiratione ſectari, quã quæ natura ac veriſsime bona ſunt: neceſſarium eſſe reor, breui oratione de vtriſque hic agere & componere inter ſe tum quæ vulgo neglectui ſunt, tum quæ magno mortales ſtudio ſequuntur, vt vtrorumq; differentiam edocti, illa quidem vt ſeria, ac ſalutaria magni faciamus, hæc autem tanquam nihili æſtimanda contemnere diſcamus. Igitur magnoperè expetũtur diuitiæ, principatus, imperium, gloria, ac beatos quidem vulgus eos ducit, qui gentiũ principes ſunt, qui ſplendidis vehiculis fé-

Differt Rex à Monacho iuxta hominum opinionem.

runtur, qui præconum clamorem, ac ſatellitium magnum aſſequuntur. Contra philoſophantium vita, & eorum, qui ſolitariæ vitæ inſtitutum delegerunt, deſpicabilis eſt: atque illi quidem dum foras prodeunt, ad ſeſe continendos populum ipſum conuertunt: hi autem ſicubi apparuerint, nullius oculos, aut certe perpaucorum ad ſui ſpectaculum trahunt, & præterea horum nullus ſimilis eſſe concupiſcat: illorum cōtrà, nemo non quenquam principatū quærere, gentis alicuius imperio potiri, arduum ſanè ac ſupra vulgarium hominum vires, ac quorum animis imperij amor inceſsit, ijs magna pecunia opus, ſolitariam vero vitam eligere, Dei cultui vitam ſuam mancipare, æque omnibus procliue ac facile. Adde quòd principatus poſſeſsio vna cum vita hac deſinit, ſeu verius dicam, viuos etiam ſui amatores deſtituit, vt taceā hic multos olim extitiſſe, quos magnum in periculum, vel certè magnam in ignominiam coniecit. At ſolitudo iuſtos hac in vita bonis multis quum repleuerit, à vitæ exitu hilares ac ludibundos ad Dei & Seruatoris tribunal ducit, quo potiſſimum tempore eorum qui imperio functi fuerint, bonam partem magnas peccatorum in vita admiſſorum pœnas

luere

lucere videas. Age itaque contendentes inter ſe tum philoſophiæ bona, tum ea quæ hac in vita principatus ac gloriæ bona eſſe videntur, vtrorumque bonorum diſcrepantiam perdiſcamus: ſic enim collata apertiora fient, quin potius, ſi placet, ipſum bonorum faſtigium (regnum intelligo) cum philoſophia comparantes, vtriuſq; poſſeſsionis fructus contemplemur, diligenter edocti, quibus Rex, quibus rurſus philoſophus imperet. Rex igitur vrbium, regionum, tum multarum gentium præfecturam gerit, prætores, proprætores, exercitus, *Imperio.* populos, ſenatus, ſuo vnius nutu agens: at vero qui ſe ipſe totum Deo dedit, ſolitariamque vitam elegit, iræ, inuidiæ, auaritiæ, voluptati, ceterisq́, animi morbis imperat, aſsiduè ſpeculans, ac meditans, quemnam in modum non committat, vt ſuum animum obſcœnis affectibus non ſubijciat, neu amaræ tirannidi ratio inſeruiat, ſed ſupra res humanas omnes, cogitationem ſemper erectam habeat, Dei timorem animi morbis præficiens. Huiuſmodi igitur imperium rex, huiuſmodi item principatum monachus adeptus eſt: vt iuſtius quidem hunc regem voces, quàm eum, qui purpura indutus, ac corona ornatus ſplendeſcit, throno in aureo ſeſsitans,

Q tans,

tans, Nam is demum verè rex eſt, qui iram, qui inuidiam, qui voluptatem cohibens, omnia ſub Dei lege agit, mentem liberam ſeruans, neque patiens voluptatum dominationem animo ſuo imperitare. Talem equidem regem libens viderem & populis, & terræ, & mari, & ciuitatibus, & exercitibus iura dantem. Quiſquis enim animi affectibus rationem magiſtram præfecerit, is paruo admodũ negotio & hominibus vna cũ diuinis legibus præfici poſsit, vt eundem patris loco ſubditi habeãt, cum omni manſuetudine ciuitatibus conſuetudinis ſuæ copiam facientem. Qui vero hominibus imperare quum videatur, iræ tamen, auaritiæ, voluptatibus ſeruit: hic primum ſubditis ſuis ridiculus videri poſsit, hoc ipſo, quod coronam quidem geſtat gemmis auroq; intertextam, temperantiæ vero corona minimè inſignis eſt: & purpureo quidem paludamẽto toto corpore fulget, animum autem inornatum habet. Deinde idem hic ne adminiſtrandi quidẽ imperij ſcientiam habiturus eſt. Qui enim ſibi ipſe imperare neſcit, hic quo tandẽ modo alios legibus regere poterit? Quin ſi id belli genus, quod vterq; ſibi peculiariter gerendũ ſumpſit, ſpectare volueris, inuenies hunc cum dæmonibus

Ornatu.

Certamine.

monibus depugnantem, eundemque et ſuperantem, & vincentem, & à Chriſto coronam capientem: vtpote qui ad pugnam accedat diuino ſuſtentatus auxilio, cœleſtibus armis communitus, vt neceſſe quidem ſit victoriam ab ipſius partibus ſtare, quum interim Regem illum cum Barbaris bellantem cernas: quantò autem hominibus dæmones terribiliores ſunt, tātò ſplendidior eſt, qui hos ſuperat, eo, qui illos vincit. Quod ſi vtriuſque belli cauſam perdiſcere cupis, magnam profectò inæqualitatem reperies. Alter enim pro pietate: ac Dei cultu cum dæmonibus bellum gerit: vel vrbes, vel vicos ab errore aſſerere deſiderans: Alter verò cum Barbaris digladiatur, pro locis, finibus, opibusque raptis, illum auaritia, atque adeo iniuſti principatus ambitione ad pugnam prouocante: vbi certe pleriq; plerumque reges maiora quum appetiuiſſent, iam parta amiſere. Itaque tum principatus, tum ipſa bellorum genera arguunt, eoſque inter ſe diſcrepare, & regem, & eum qui vitæ ſuæ ſtudium Dei cultui addixit, ſed tamen eoſdem illos exactè vtique pernoſcas, ſi ad vtriuſque vitam, quotidianaque geſta examinanda deſcenderis. Reuera enim hunc inuenias cum prophetis verſantem, Pauli ſapien- *Cauſa belli.* *Societate.*

tia animum exornantem, aſsiduè à Mo
ſe ad Eſaiam, ab Eſaia ad Ioannem, à
Ioanne ad alium quempiam tranſeuntem. At regem aſsidua centurionum, proprætorum, & ſpiculatorum conſuetudine abutētem. Porro autem natura comparatum eſſe videmus, vt cum quibus aſsiduè quis verſatur, horum mores ſimiles habeat. Itaque qui ſolitarius viuit, is animum ſuum ad apoſtolorum & prophetarum mores conformat. At rex ad mores ducum, ſcutatorum, ſatellitum, hominum vino ſeruientium, voluptatibus indulgentium, bonam diei partem in potu conterentium, denique nullius rei neceſſariæ, aut honeſtę ſcientiam, vino impediente, callentium. Hac ergo ratione monaſticam vitam conuenit ea beatiorē dicere, quæ principatu, quæ regno, quę ſceptris conſtat. Quod ſi & noctis tempus examinare voluerimus, monachum quidem videbimus Dei optimi cultu, ac precibus inſignē, multo ante gallinaceos tempore canentem, angelis conuictoribus vtentem, cum Deo colloquentem, cœleſtibus bonis fruentem. Eum vero qui multis gentibus, multis populis, atque exercitibus præeſt, quiq́ue terra ac mari latè imperat, in lecto diſtentum ac ſtertentem. Ille quidem cibis ijs alitur, qui altum ab eo

Quiete & operibus noctis.

ab eo ſomnum minimè exigant: hunc autem deliciæ conſopiunt & potus, eundem in lectulo in ipſum vſque diem detinens. Iã monacho & veſtis & menſa moderata, & conuictores eiuſdem virtutis æmuli. At regem neceſſe eſt, & lapillis & auro, ſuperbũ eſſe, menſamq; extruere ſplendidam, tum conuictoribus vti, ſi quidem imprudens ille fuerit, ſua ſtoliditate dignis: ſin autem mẽtem habeat, temperansque ſit, probis fortaſſe & iuſtis, ſed tamen virtute ijs, quos ante dixi, longè inferioribus, ita vt rex philoſophiæ deditus ſit, tamen ne tantillum quidem ad monachi virtutem propius accedere queat. Etenim in itineribus faciendis ſubditis grauis eſt, præterea & vrbẽ habitans, & pace fruens, & bello operam dans, tum tributa exigens, tum exercitus conficiens, tum captiuos agens, & dum victor, & dum victus eſt, ſubditos proprijs malis replet: victor quidem intolerabilis eſt, victoria ſeſe venditans, ac ſibi placens, tum militibus præbens licentiam rapiendi, deprædandi, viatores iniuria afficiendi, vrbes obſidione cingendi, pauperũ domos depopulandi, ab ijs, à quibus excepti fuerint, ea quotidiè exigendi, quæ nulla lex permittit, idque per cauſam priſcæ alicuius conſuetudinis *Ratione victus ac diata.*

iniquæ & iniuſtæ. Quum interim illũ neſcio quem per huiuſmodi mala Rex minimè lædit, ſed de paupertate tantũ malè meretur: perinde quaſi verè ille di uites vereatur. At verò non ſic monachus, qui ſimul vt conſpectus fuerit, ſtatim tam diuitibus quã pauperibus donum aliquod afferens, vtriſque æquè ſe munificum preſtat, vno tantum amictu ad vitæ ſuæ inſtitutũ conformi vtens, tum aquam libentius bibens, quam vinum, quamuis admirabile: pro ſe quidem nullam neque paruam, neque magnam à diuitibus gratiam poſtulans: pro indigentibus autem tum multas, tum continuas, eaſque vtriſque condu centes, hoc eſt, tam ijs qui largiuntur, quàm ijs, qui accepturi ſunt. Sic fit, vt communem ille agat medicum diuitũ iuxta & inopum, illos peccatis liberans per bonam admonitionem, hoc ab indigentia eximens. At rex tributa dum minus grauia eſſe iubet, diuitibus magis, quàm pauperibus vſui eſt. Idem dũ contra facit, paucarum facultatum dominos lædit: nam diuiti tenuem admo dum iacturam attulerit, tributorum acerbitas: at eadem pauperum domos tanquam torrens diſtrahit, fletu complens vicos: quum interim neque ſenectus ijs miſerabilis eſt, qui tributa exigunt,

Benefaciendi ſtudio.

Reſpectu perſonarum.

gunt,neque mulierum viduitas, neque liberorum orbitas, quinimò proteruiendi finem nullum illi faciunt,communes quidam regionis hoſtes,quæ tellus nequaquam tulit, ea ab agricolis exigentes. Age verò & illud inſuper examinemus;quanam in parte monachus, qua contra in parte Rex ſubditis beneficus ſit. Igitur hic quidem aurum largitur,ille vero ſpiritus gratiam: præterea idem hic dum bonus eſt, paupertatem ſoluit: ille autem animas dæmonum tyrannide oppreſſas precibus liberat,ac ſi quis fortè huiuſmodi calamitate affligetur, is regem tanquam ſtatuam prærerit,ad monachorum vero habitaculum confugit,quaſi qui cõſpecti lupi timore ad venatorem gladium manu geſtantem fuga contendit: etenim quod venatori gladius, id preces ſunt monacho : neque ſanè ſic lupos gladius,vt dæmones iuſtorum preces terrent. Itaque non nos modo ad ſanctos monachos,dum rei vſus poſtulat,confugimus,ſed vel reges ipſi ad eoſdẽ in temporibus formidandis, haud aliter quam famis tempore mendicantes ad diuitum domos confugiunt. Nônne Achaab Iudæorum rex per famem,& annonę caritatem,in Elię precibus ſpem poſuit ſuam? Nônne Ocho

Liberalitate.

Precibus.

zias illud idem imperium, illum eundem principatum obtinens, æger, ac iã-iam moriturus, inſtantem ſibi mortem quum videret, ad eundem Prophetam confugit, tanquam morte potentiorem, ac vitæ largitorem? Atqui bello erumpente, Palęſtinaque in tantum adducta periculum, vt funditus excidenda eſſet, Iudęorum reges miſſo exercitu, miſsis peditibus, ſagittarijs, equitibus, ducibus, centurionibus, ad Eliſſæi preces ſe receperunt: exiſtimabant enim Dei ſeruum ſibi multarum myriadum inſtar fore. Itidem & Ezechias rex bello Perſico conflato, iamque ciuibus ipſis pro aris ac focis in maximum pertractis periculum, ijſque qui pro mœnibus ſtarent iam trementibus, metuentibus, ac perinde commotis, vt commoueri homines ſolent, quoties vel tonitruũ, vel terræmotum omnia quatientem expectant, Eſaię preces multis Perſarum milibus oppoſuit, neque ſua illum ſpes fefellit. Nam ſimul vt propheta manus in cœlum ſuſtulit, ſtatim Deus ſagittis è cœlo miſsis Perſicum bellum confecit: reges erudiens, eo ſe loco ipſius miniſtros habere debere, vt eos communes eſſe terræ ſeruatores exiſtiment, vt hac quidem ratione edoceantur per iuſtorum exhortationes, ad om

ne

ne bonum atque humanum opus inuitati, tum cõſilia reuereri, tum bonis admonitionibus locum relinquere. Proinde non ex ijs ſolũ, quę dixi, vtriuſque diſcrimen cognoſcere licet, ſed ſi vſu venerit & hunc & illum deturbari: hoc eſt, hunc quidem à virtute deſtitui, illum autem regno priuari, nimirum hic paruo admodum negotio ad ſe redit: ac ſtatim per preces, per lachrymas, per moerorem, per pauperum curam, peccatis abſterſis, deintegrò facile ad priſtinum principatum recurrit. At rex ſolio deiectus quuum fuerit, tum demum multis ſane ſocijs indiget, multis item armatis militibus, equis, pecunijs, periculis, denique ſalutis ſuæ ſpem in alijs ſitam habet. Monachus verò ſalutem celeriter voluntati ſuæ, ſtudio, ac ſentẽtiæ mutationi comitem habiturus eſt. Regnũ enim cœlorũ, inquit ille, in nobis. Iam mors regi terribilis eſt, eadem philoſopho minimè moleſta. Eum enim qui diuitias, voluptatem, delicias (quorum gratia vitam agitare multi concupiſcunt) deſpicit, neceſſe eſt migrationem ab hoc orbe haud ægre ferre. Quod ſi & hunc & illum iugulari contigerit, hic quidem, pro pietate pericula ſibi accerſet, immortalem & cœleſtem vitam morte ſua comparans. At

Reſtitutione in priſtinum ſtatum.

Luc. 17.

Morte.

Rex tyrannum aliquem, & eum qui imperium affectat, iugulatorē ſuum habiturus eſt, miſerabile funus, idemq; horrendum poſt cædem ſpectaculum. Adde his quod monachus bonorum ſuorum affectatores habiturus eſt æmulatores ac diſcipulos, bona ex parte com precantes, vt ipſius ſimiles euadant. At rex multos fruſtra in precibus ſermones inſumpſerit, Deum rogans, vt nemo exiſtat, qui regnum affectet. Preterea illum interficere nullus audeat, niſi ſi quis exiſtimaturus eſt impium ſe in Deum futurum, ſi eum ſuſtulerit. Huic verò multi iugulatores ingruunt tyrannidis affectatores. Quamobrem alter milites adhibet corporis ſui cuſtodes, alter vrbes precibus ſuis tanquam muro communit, neminem timens, quum rex perpetuo in timore, continua in cædis expectatione viuat: ſecum enim circumfert auaritiá periculoſam, pro qua monachus tutam præ ſe fert ſalutem. Proinde de rebus, quæ nos in præſenti vita circunſiſtunt, abundè mihi dixiſſe videor. Quod ſi & certamen futurum examinare velimus, monachū quidem videbimus ſplendidum, ac cōſpicuum rapi inter nubes, ad occurſum Chriſti in äëra, exemplo ducis, & inſtitutoris huius vitæ ſalutaris, omniumque

Sepultura.

Succeſſorum amore.

Metu.

que virtutum. At rex, ſi quidem iuſtè & humanè imperium rexiſſe viſus fuerit ſuum (hoc autē admodū rarum eſt) minorē ſalutem, minorem honorē ſortietur: non enim idem, non, inquam, idem fuerit, bonus rex, & monachus ſummā in Dei cultu curam ponens, ſin autem malum & importunum vixiſſe eum cō ſtiterit, ac multis malis orbem repleuiſſe: quis tandem enarrare poſsit calamitates eas, quas ſuſtinere eum videbis, igni exuſtum, flagellatum, cruciatum, denique ea patientem, quę neque verbo exprimi, neq; re ipſa tolerari poſſunt? Hæc omnia reputantes, atque ediſcentes, oportet non diuites admirari: etenim conſtat horum dominium ne tantillum quidem ad monachi virtutem propius accedere. Ergo vbi conſpexeris diuitem veſte ornatum, auro ſuperbū, curru vectum, inceſſus magnificos incedentem, ne hominem beatum dixeris. Temporariæ enim diuitiæ, & quicquid bonum eſſe videtur, vnà cum vita hac corrumpitur. At monachum vbi videris ſingularem, humilem, manſuetum, quietum, pacificum, hominem æmulare, fac videare imitator philoſophię ipſius, fac preceris eſſe iuſti ſimilis. Petite enim, inquit, & dabitur vobis. Hęc *Matth. 7.* enim verè ſunt bona, ſalutaria, iuſta,

propter Chriſti benignitatem ac prudentiam, cui gloria & imperium per ſecula ſecuolrum, Amen.

FINIS.

IOANNES A SILVA DVCALI, A LITERIS GERANIORVM apud Hantuerpianos, ad Lectorem.

✠

NOn te pigeat, amice Lector, hunc percurrere Indicem, qui breui cõpendio multarum tibi rerũ memorabilium narrationẽ ad memoriam reuocabit, de antiquorum Monachorum cæterorumq́ Chriſtianorum viuendi modo, eorumq́ obedientia, ac in ſobrietate vitæ & varijs perſecutionibus, tribulationibusq́ (pro Iuſtitia) conſtantia, vt ſcilicet multorum Gentilium animas Chriſto lucrifaciendo, vitam in Chriſto Ieſu abſconditam mererentur, Vale.

Q 7

A.

Abrahæ Moyſiq; Hiſtoriæ declaratio. pag.49.50.51.
Abrahæ filios de lapidibus ſuſcitare poſsibile eſt Deo pag. 250. 251.
Adæ primi hominis creatio ac lapſus pag. 45.46.
Angelus malus Lucifer quomodo cecidit ac Adamum ſeduxit, pag.46.47.
in Angelum lucis,quare diabolus ſeſe aliquãdo transformat pag. 266.
Anni mortis non ſunt anni vitæ pag. 146.147.
Antonius monaſticæ conuerſationis autor pag.103.
Anniuerſaria vide Exequias
Archiſatrapæ regis conuerſio ad fidem pag.5.9.10.
Arma quibus bonus Chriſtianus debet eſſe armatus contra tentationes diabolicas pa.156.157.
Auennir, vide Rex

B.

Baptiſmi ceremoniæ pa.157.158.
Baptiſmo quomodo deleantur pecca-

peccata pag. 292.

Baptiſatur Auennir rex cum tota familia,& tota ciuitate, tam infantes quàm adulti pag. 312.

Baptiſatur Ioſaphat ac accurato Catechiſmo, de fidei myſterijs, Euchariſtia, Imaginumq; cultu inſtruitur. lege caput 19 ad finem vſque

Baptiſmatis gratia, eſt ſtabile fundamentum,& radix immaculatę fidei Chriſtianorũ pa.57.58.

vita Chriſtiani hominis poſt Baptiſmum pag. 85.86.87.

poſt Baptiſmum lapſus,non eſt rebaptiſandus priori baptiſmo, ſed emundabitur per pœnitentiæ baptiſmum in fonte lachrimarum, labore bonorum operum & dolore indigens,pag.91.92.93.94. lege quoque finem vndecimi capitis & principium 12. capitis.

Barlaam religioſiſsimus monachus pio commento excogitato Ioſaphatum regis Auennir filium conuertere ſtudet ad fidem catholicam, pag. 35.36.37.

Barlaam inuenit Ioſaphat in Eremo pag. 335.
Barlaã quot annos habuerit pag. 344.
Bona huius mũdi fluida & inſtabilem vanitatem eſſe Barlaam oſtendit pag. 117. lege 14. caput ad finem vſque. Bonorum omnium Deus eſt author & dator lege caput 17. ad finem vſque.

C.

Catechiſmus Catholicæ fidei inſtructio lege caput 19. ad finem vſque. Vide quoq; pag. 282. 283.
Cede repugnanti, cedendo victor abibis pag. 26.
Chriſtus eſt paſſus pag. 159.
Chriſti natiuitas et incarnatio pa. 52. 53. 54. 55. 158. 159.
Chriſti crucis ac paſsionis deuota meditatio efficax remedium contra tentationes diabolicas, Chriſti paſsionis ac crucis virtute vincũtur demones, pa. 275. 276. 288. 332.
Chriſti crucem Ioſaphat venerandam poſuit in Eccleſia ab illo Chriſto ædificata pag. 296.
Cru-

Crucis Chriſti ſignaculo baptiſandi ſignantur in fronte pagi. 157.172.
Crucis Chriſt adoratio pag.310.
Chriſtiani, vide Monachus
Cogitationes ac Actiones noſtræ ſuntnobis Coronæ ac Pœnæ cauſſa pag.165.
Cœnobita vide Monachus
Concilium rex iubet indicere inter Chriſtianos & Idololatras, pag.224.225.226.
Confiteri, vide Peccata
Confutatio philoſophorum gentilium pag.247.248.
Concupiſcentia ceu delectatione carnali ac impudicarum puellarum congreſſu, Ioſaphatum à propoſito deijcere ſtudent pa. 260.lege etiam 30. caput ad finẽ vſque.
Concupiſcentia carnis tentatur Ioſaphat ſed diuina aſsiſtẽte gratia fortiter reſiſtit pagi.263.264. 265.270.271.331.332.
vide etiam Conſtantiam in Monacho,
Concupiſcentia & Ira, duo vehementiſ-

mentiſsimi hoſtes pag.7.
Conſentire, vide Peccatum.
Conſtantia, Perſeuerantia, vide Monachus
Contemnenda ſunt mundi huius bona, gloria, diuitiæ,& voluptates pag. 82.83.lege quoque 13.caput ad finem vſque.
Conuerſio Senatoris regis ad fidem pag. 5.9.10.
ConuerſioNachor ad fidem Chriſti pag.247.248.249.
Conuerſio regis ad fidem,pagin. 309.lege etiã Trigeſimum quintum caput ad finem vſque.
Coronabitur nemo niſi qui legitimè certauerit pag.344.vide in dict. Opera
Creationis cœli & terræ mira enarratio pa.45.46.47.lege quoque 17.caput ad finem vſque
Crucis Chriſti virtus, vide Chriſtus.

D.

Delectatio vide Concupiſcentia.
Deſperationis contra periculum, ſalutiferum antidotum eſt lapſo poſt Baptiſmum & maximè

mè neceſſarium, Pœnitentia & Satisfactionis opera pag. 91.92. 93. lege etiam finem 11. capitis et principiũ 12. capitis & pag. 291.
Deus eſt autor, & dator omnium bonorum, & de incomprehenſibili Dei magnificentia, gloria, & ſapientię eius altitudine, lege 17. caput ad finem vſque. Vide etiam Chriſtus.
Deos gentium Idola eſſe, vide Idola
Diſputationis certamen adornatur inter Chriſtianos & gentium Philoſophos lege 26. caput & 27.. ad finem vſque.
Diluuij ſub Noe mentio pagi. 48. 49. 50.

E.

Eccleſiã & oratoria Ioſaphat edificat Chriſto, Pa. 296. 298. 299. 311.
Eccleſiarum dedicatio, epiſcoporum cõſtitutio & in vtilitatem earum ingentis theſauri contributio Idolorumq́ templorum ſubuerſio pag. 298. 299. 300.
Eleemoſynas liberaliter dãdo paratur nobis in cœlo theſaurus,
per

perEleemoſynas,videlicet illuc pecuniam tranſmittendo,vt ſic proſpiciamus nobis(gratia diuina aſsiſtente) ad futuram vitam pa. 121.122.123.lege 15.caput ad finem vſque.
Epiſcopus vide Eccleſia
Epiſtolam rex Auennir ſcribit filio ſuo Ioſaphato pag.303.
Euangelia quid in ſe habeant doctrinæ pag.60.61.62.
Euangelium aliud non eſt pręter illud quod ab Apoſtolis fuit prædicatum pag.162.
Euchariſtia, Corpus Chriſti Venerabile Sacramentum conſecratur, & ſumitur à Barlaamo & Ioſaphato pag.345.
Euchariſtiam. i. diuina myſteria ſacrificium intacti corporis & ſanguinis Chriſti quomodo ſumebant, pag.101.160.161.162.
Exemplum bene Viuendi, vide Monachus & Vita,
Exequiarum celebrationes acCeremonie, & Anniuerſaria &c. pag.314.315.316.

Fides

F.

Fides alia nõ eſt pręter illã que ab apoſtolis fuit prędicata, pa. 162.
Fidei Symbolum pag. 157. 158. 159.
Fidei inſtructio, vide Catechiſmus
cum perfecta Fide requiruntur opera bona, nam Fides abſque operibus mortua eſt, Ergo opera bona ſunt meritoria Pa. 10. 11. 60. 61. 64. 66. 67. 69. 70. 85. 86. 87. 163. 220.
Fidei immaculatæ Chriſtianorũ radix & ſtabile fundamentum eſt, Gratia baptiſmatis, pag. 57. 58.
Fides vnius Dei accurata declaratio pag. 307. 308. 309.

G.

Gratias agit domino Ioſaphat oratione & hymno pa. 304. 305.

H.

Hamus diaboli pręſens vita pagi. 219.
Heremita fit Ioſaphat pag. 327.
Hęretici Virgines deo dicatas & monachos Caſtitatem profeſſos, ſub nuptiarum prętextu ad ince-

inceſtum (friuolis rationibus & ſophiſmatis ſibi contrarijs) ſolicitant pag.268.269.270.
Hęretici quare puniendi ſint pag. 193.194.
Hęreticorum Punitio ſiue merces pag.253.
Horarum ſeptem Orationes cele brantur. pag. 320.
Hominum tria genera pag.230.

I.

Ianua ſalutis, vide Pœnitentia
Idolorum Cultus Idololatria pa. 48.49.
Idolorum cultores, cui aſsimulantur & quomodo decipiuntur, pag.78.79.80.81.82.
Idola & dęmonia deos gentilium eſſe vera oſtenditur diſputationis enarratione, ſolos Chriſtianos veram habere religionem demonſtrando, lege 17. caput ad finem vſque.
Idolorum ceu multorum deorū omnes cultus, ſunt erroris, & perditionis opera pagin.48.49. 243.244.279.
Idola ab initio reperiſſe Seruch dicitur,

citur pag.289.
Idolorum templorum ſubuerſio pag.299.
Ieiunare ac Vigilare quam ſtričtè ſolebant monachi cęteriq́; Chriſtiani pag.5.254.
Ieiunium pœnitentibus indicitur pro peccatorum commiſſorũ ſatisfačtione pag. 293.
Imaginum ſančtorum veneratio pag. 161.
Inferno deſtinatis redemptio nulla eſt pag.209.
Ioſaphat naſcitur pag.15.
Ioſaphat includiturPalatio pa.17.
Ioſaphatum conuertere ſtudet ad fidem catholicam Barlaam monachus pag.35.36.37.lege 17. caput ad finem vſque.
Ioſaphat ornatur diademate ac in regem coronatur pag. 296.
Ioſaphat fit ſuſceptor Patris ſui pag.311.
Ioſaphat fit heremita pag.327.
Ioſaphat quot annos habuerit pag.351.
Ioſaphat moritur pag.353.
Ira & concupiſcentia duo vehemen-

mentiſsimi hoſtes pag7.
Iræ ſuperioris ceu inimicorum cedendum eſt, ne efficiamur illis cauſa abundantioris condemnationis pag.26.
Iudicio de extremo Dei pagi. 220. 221.
IugumDomini ſuaue eſt,& onus eius leue, contendite igitur intrare per anguſtam portam pa. 164.165. legendum 16. caput ad finemvſque.

L.

Lex vetus,ſolùm docet verum colere Deum & bonis operibus inhærere pag.51.
Liberi arbitrij,& propriæ voluntatis enarratio pa.127.128.129.
Linguæ ſanctorum monachorũ abſcinduntur,oculiq; eruuntur pag.197.
Lucifer, vide Angelus

M.

Magus magicis vacans artibus lege 29. caput & 30. caput ad finem vſque.
Magus ceu veneficus conuertitur ad fidem Chriſti ac Baptiſatur pag.

pag.292.293.
Maiora maioribus anteferre conuenit pag.209.
Mariæ virginis de virginitate pa. 158.159.
Martyr, Martyrium, vide Monachus
Miſericors eſt Deus, Pœnitentes benignè ſuſcipit, miſericordiæ eius non eſt numerus pag.251. 252.291.292.
tam Miſericors eſt Deus, vt Pœnitentium peccata non vincāt bonitatem eius, ſed verè pœnitenti aperiuntur Ianuæ ſalutis pag.250.309.313.
Miſericordia nihil præcioſius pa. 323.301.
Miſſæ celebratio pag.162.345.
Monachorum viuendi modus eorumque obedientia, & Catalogus omnium virtutum in antiquis monachis & verè Chriſtianis pag.101. vſque pag.105.
Monaſtici ordinis verum opus quod pag.339.
Monachis ceu religioſis non decet habere peculium pagi.154.

vſque 157.
Monaſticæ conuerſationis autor Antonius pag.103.
Monachi ac Chriſtiani perſequuntur à rege Auennir, & diuerſæ nouæ tormentorum ſpecies in cæteros Chriſtianos excogitantur pag.6.190.191.192.4.18.19.legendum qnoque 23. caput ad finem vſque. Cœnobitæ vnanimiter Pſalmis & Hymnis laudant Deum pag.102.103.
Monachorum, Chriſtianorum, Martyrumq́ conſtantia in Martyrio ac tormẽtis pag. 12.13.331.
Monachorum antiquorum in ſobrietate vitæ conſtantia, cæteris Chriſtianis præbentiũ exemplum bonę vitę, vt vitam in Chriſto abſconditam mererentur pag.3.4.5.196.207.
Monachorum veſtitus ac dura cõuerſatio arduumq́ inſtitutum pag.6.338.
Monachorũ laudes quantæ ſint 1.2.3.
Monachiſmus, Vita monachorũ via compendioſa ad angelicam du-

ducens vitam, & quomodo quis poteſt ducere vitam angelicam pa.10.11.& pag.124.vſque 127.legendum quoque 12.caput ad finem vſque.
Mors æterna dicitur peccatum mortale,& Peccati mortalis ſtipēdium mors eſt, mors autem temporalis nō eſt mors,& mortis anni non ſunt anni vitæ pa. 146. vſque 151. Mortuorum de reſurrectione pa.59. vſque 69. 160.220.
Mortuo pro Patre Ioſaphat orat pag.314.315.349.
Mortuorum vigiliæ pag. 348.
Mors quid eſt pag.62.
Moyſes, vide Abraham
Mundus Dei prouidentia gubernatur & regitur,& de mirabili prouidentia ceu prudentia Dei & mundi creatione lege 17. caput ad finem vſque.
Mundi contemptus Vide Contemnere & Bona

N.

Nachor conuertitur ad fidē Chriſti pag.247.248.249.

Noe vide Diluuium,
Nuptialis veſtis mentio & qui ad nuptias venire recuſant pa.72.
O.
O altitudo diuitiarũ &c. pa.144.
Obedire deo magis oportet quã hominibus pag.217.218.
Obedire parentibus in quibus cauſis bonum fit pag. 216.217.
Oculi Chriſtianorum eruuntur pag.197.
Oleum in lampadibus virginum quid. pag.73.
Opera bona ſunt meritoria, vide fides & Pœnitentiæ virtus
Operum omnium bonorum ac malorum de Retributione pa. 63.64.65.72.73.74.344.
Operibus ſatisfactionis peccata priora compenſauit rex Auennir pag.312.
Orationis mundæ vis atque dignitas pag.169.170.171.
Orationes variæ pag.181.183.202. 264.
Orationibus atque Vigilijs nocte dieq; vacandũ eſt pag.184.254.
Oratio contra tentationes

pag.271.264.272.
Oratio Barlaami iamiam morituri pag.347.
Oratio Ioſaphati ſuper defunctũ Patrem Barlaam pagi. 314.315. 348.349.
Orat Barlaam vt Deus Ioſaphato cordis oculos aperiat, legendũ 17.caput ad finem vſque.
Oratoria, vide Eccleſia.

P.

Parentare vide Exequias
Paſsio vide Tormentum.
Paſſus eſt Chriſtus pag.159. vide Chriſtus.
Peccatorum omnium per ordinem confeſsio pag.293.
Peccati principium quid pagi. 129.
Peccatis venialibus qui leuiter cõſentit huic ſemper maiora peccata ſuperueniunt pag.166.167.
Peccatũ verè pœnitentis non eſt vincens Dei pietatis viſcera, vide Miſericors
Peculium vide Monachus
Perſecutionem & Tribulationẽ pro iuſtitia ſuſtinere debemus pag.196.

Perſecutio regis Auennir contra Monachos cæterosq́ꝫ Chriſtinos pagi. 1.2.3.4.5.6. legendum quoque 23. caput ad finem vſque. Vide etiam Monachus.
Perſecutionum, Tormentorum ceu paſsionum rector eſt pius animus pag.197.
Perſecutionis, Paſsionis, Tentationis, Tribulationis in die, aut maxima tẽpeſtate inuocandus eſt Deus omnipotẽs & exaudiet nos pa.212. Vide etiam Chriſtus
Perſeuerantia vide Monachus
Philomena loquitur pag.78.
Pœnitentia maximè neceſſaria. Vide Fides, Deſperatio
Pœnitentiæ arctam viam pauci ſunt qui pergunt pa.124. 125.126. Vide Iugum.
Pœnitenti verè aperiuntur Ianuę ſalutis nam Deus illos benigne ſuſcipit pag. 250.251.252. Vide etiam Baptiſmus & Miſericors
Pœnitentibus veniam peccatorũ ſuorum poſtulantibus indulgendum eſt pag.324.325.
Portam anguſtam vide Iugum.

Via.
Prçelectio eſt duorum propoſito rum vnum eligere præ altero pag.127.128.129.
Prçfecti, Principes, Superiores delinquentes non tantum populo quantum ſibi ipſis nocent pag.322.
Principes vide Præfecti,
Propheta Falſus vide Hæreticus
Prouidentia Dei, vide Mundus
Pſalmis & hymnis Cœnobite vnanimiter laudant pag.102.103.
R.
Regione de longinqua venire, eſt pœnitentiam agendo de via iniquitatum reuertere pag.291.
Religioſus vide Monachus
Regnum Dei vim patitur Vide Iugum, & Via
Regnum rex diuidit pag.296.
Relinquere omnia quod propter Chriſtum debemus, nō eſt nouiter inuētum ſed antiqua (ab Apoſtolorum deſcendens doctrina) eſt Traditio pag.123.124.125.
Reliquiæ & Veſtes ſanctorum

Martyrum ſunt venerandæ, & quid repræſentāt pa.96.97.189. 191.192.193.

Reliquiæ Barlaam ac Ioſaphati in Thecis reponuntur, ac religioſe ſeruātur & honorantur, & Miracula, multasq; virtutes per illas Deus facere dignatus eſt pag.354.355.

Retributio Vide Opera

Rex Auennir conuertitur ad fidē Chriſti pagin.311.312. legendum quoque 23.caput ad finē vſque.

Regis officium pag.300.

Rex Auennir moritur pag.312.313.

S.

Sacerdotes ordinantur pag.311.

Sacramentum venerabile, vide Euchariſtia

Salutis conſiliū expetit Ioſaphat pag.77.78.79.

Sancti, vide Imagines

Sapientiæ Initium timor Domini pag.119.

Satisfactio, vide Opera

Semen ſeminare exijt quis Sermo prolixus de ſemine pagi.38.39. 44.45.

Serpens, vide Angelus malus
Superiores, vide Pręfectus
Suſceptor patris de diuino fonte fit filius, vide in dict. Ioſaphat

T.

Tentationes contra diabolicas arma, vide Arma, vide etiam in dict. Monachus & Perſecutio
Tempus omnia habet, Temporis rationem habere oportet pag. 217. 218.
Theſauriſare Theſaurum in cœlis. vide Eleemoſyna
Tormenta varia rex excogitat cõtra Chriſtianos, vide Monachus & Perſecutio
Traditio, vide Relinquere
Trinitatis ſanctiſsimæ enarratio pa. 81. 82. 157. 158.

V.

Veneficus vide Magus
Veſtis nuptialis, vide Nuptialis
Via eſt arcta quę ducit ad vitam, & quamuis regnum Dei vim patiatur, tamen his, qui contendunt intrare per anguſtam portam, iugũ domini ſuaue eſt, & onus eius leue, pagi. 164. 165. 125.

le-

Legẽdum quoque 16.caput ad finem vſque.

Vigiliæ ac Nocturnæ orationes, & ſpiritalia colloquia ex more veterum Monachorum pag.338.

Vigilare, vide Ieiunare,

Vigiliæ mortuorum pag. 338. Vide etiam Exequiæ

Virtutis opera, in rebus aduerſis vnicum ſolatium. vide 13.caput ad finem vſque.

Virtutum omnium Catalogus pag.102.103.104.

Vita Chriſtiani hominis, vide Monachus, & Baptiſmus,

Vita Carnalis non eſt vita, pagin. 146.147.148.149.

FINIS.

ERRATA QVEDAM ANTE lectionem reſtituenda.

In Epiſtola nūcupatoria pag. 5. lin. vlt. pro excelſas lege exeſas facie 3. lin. 22. lege genuina.

Pagina,	verſu,	lege.
5	11	Trahenti
19	9	ſacrificijs
33	17	contingebat
55	6	apparuit
61	3	in cælos
66	27	adde nō, ad reſurrexit
72	14	in margine lege Nota tu qui
100	17	ſuarum
159	9	& ſine virili ſemine
183	2	indicio
184	5	attendebat
193	8	& ad ſanctæ
197	27	paternis
198	13	accerſe
198	26	ſciſcitante
201	9	in deluſionem
207	13	Cur
208	25	obſcuri
208	27	operarij
222	30	mirabatur
225	19	dele in
230	6	oſtendit
230	12	Diuinitate
250	14	apoſtatæ
256	25	oliuæ.

259	22	ſacrificabo tibi
264	26	incidere
269	29	conuerſionis
270	1	religionis
279	5	intelligentius
334	5	triſtia
338		in margine lege pro aliqui antiqui
346	1	exultauit

Cætera leuiuſcula ſunt, quæ ex te facile reſtitues.

Aduerte Lector quod per operarũ incuriam omiſſum ſit argumentum cap. xxxix. quod reponendum erit pagin. 339. linea 22. ibi.

Sic autem inuicem conuerſantibus &c.

quod quidem ita habet.

Barlaam vitæ ſibi finem adeſſe Ioſapho indicat, varijs illum immodicè lachrymantem documentis inſtruens vbi verò iam adeſſet ea, quę erat ei humanorum operum hora extrema, ſigno crucis ſeipſum conſignans, hylari vultu vitam cum morte commutauit.

FINIS.

ACV 1469799

40

Ad Ana.

Deinde R

Ad

Deinde R

Añ su

Lectio j.

vt in j.

Noct. Dominicæ præteritæ.

Lectio ij.

O